ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

TRACTATUS

DE

OPERE SEX DIERUM

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/tractatusdeopere0000alex

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

INSTITUTIONES THEOLOGIAE SPECULATIVAE
AD TEXTUM S. THOMAE CONCINNATAE

TOMUS VII

TRACTATUS
DE
OPERE SEX DIERUM

AUCTORE
ALEXIO HENRICO M.
TIT. S. SUSANNAE
S. R. E. CARD. LÉPICIER
O. S. M.

Meditatus sum in omnibus operibus tuis
in factis manuum tuarum meditabar
Ps. CXLII, 5.

ROMAE
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA « BUONA STAMPA »
VIA EZIO 19
1928

IMPRIMATUR

† Iosephus Palica, Arch. Philippen., Vic. Ger.

Omnia iura proprietatis auctor sibi vindicat

PRAEFATIO.

Explorato iam, in praecedenti tractatu, primo atque praecipuo divinorum operum, nempe natura angelica, sequitur ut de spectabili hoc mundo, qui ob oculos nostros devolvitur, sermonem instituamus, ex quo, tamquam libro patenter scripto, auctorem Deum, qui omnino spiritualis est, melius cognoscere possimus. Haec est enim lex, res mundanas velut scalam esse ad caelestia capessenda, quatenus per visibilia ad invisibilia rapiamur.

Porro, quanto desiderio, temporis decursu, hominum mentes fuerint actae ad rite cognoscendas mundi huius originem atque vicissitudines, ex multis quae, sive in antiquitate, sive recentiori aevo prodiere scriptis, abunde apparet. Inter quae, ut profanos auctores, revelationis beneficio destitutos, omittamus, apprime recenseri merentur egregia illa quae de sex dierum opificio opera conscripsere plures ex Ecclesiae Patribus, puta, in Africa, Clemens eiusque illustris discipulus Origenes; in Oriente, fratres sanctitate et scientia pares, Basilius et Gregorius Nyssenus; in Occidente, Ambrosius et signantur Augustinus. Hi omnes genesiacam narrationem prae oculis habentes, nisu generoso contenderunt eam cum vagientibus adhuc physicarum scientiarum studiis amico componere foedere, in quo quidem haud parvam merentur laudem, quod veritatis amore perducti, difficile et arduum iter, sudoribus haud parcentes, sint viriliter ingressi, licet exiguos tantorum laborum fructum reportaverint.

Labentibus saeculis, plures surrexerunt e sacrorum scriptoribus, qui nobile resumpserunt molimen, ut, puta, Venerabilis Beda anglus, necnon, serius, Doctores Scholastici, Angelicus maxime et Seraphicus, qui omnem scientiarum physicarum suppellectilem, qualis tunc haberi poterat, mirabili synthesi adunaverunt, atque cum revelationis documentis,

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

quantum fieri posset, composuerunt. In quo quidem, deficientibus ulterioribus scientiarum adinventis, plura fors conscripsere, quae hodie haud amplius possunt sustineri. At error circa facta particularia haud certe tollit quin immutata maneat metaphysica rerum veritas: unde inconsulto satis procederet qui, ob erronea quaedam de physicis legibus adserta, totum id quod Patres aut Scholastici Doctores de rerum natura conscripserunt, petulanter reiiceret.

Porro, nunquam fuerunt ista studia tanta alacritate suscepta, sicut recentioribus temporibus, cum homines, stratis terrae analysi subiectis, perlustrato iam firmamento, atque exploratis maris abyssis, animalibus quoque dissectis, naturae secreta penetrare praesumpserunt. Qua tamen in re, magnus, imo exitiabilis irrepsit error, dum, neglectis revelationis et sacrae philosophiae principiis, scientiam homines adstruere nisi sunt superbam et fatuam, mundum edicentes a seipso productum, a seipso quoque in genera et species distinctum. Ex qua petulante sententia pronum fuit novas atque peregrinas hypotheses de mundo eiusque origine atque constitutione, maxime circa hominem, excogitare, quem voluerunt processu transformativo, temporis lapsu, a materia cosmica, gradatim evolutum.

Ex his patet quanti momenti sit praesens tractatio, in qua de vera mundi origine disseritur, necnon de illius distinctione et ornatu, quatenus ex compertis his omnibus, condigna Deo tribui possit laus, secundum illud [1]: *Caeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiat firmamentum.*

In quo tractatu perficiendo, more nostro, S. Thomae doctrinae innixi processimus, cuius etiam ordinem secuti sumus, non ita tamen ut ea retinere velimus quae cum exploratis adinventis colliduntur, quibuscum potius genuinam Scripturae et Patrum doctrinam comparabimus.

Vix dici potest quam utilis evadat doctrinae de opere sex dierum uberior tractatio, qua non solum docemur quam accurate res humanae Dei iussioni, in cuius laudem creatae sunt, pareant, sed etiam sincerae nobis devotionis do-

[1] Ps. XVIII, 1.

cumenta traduntur, dum in singulis sex dierum operibus, velut sex gradibus perfectionis, mystica scala signatur, qua homo ad factorem suum ascendere debeat, ut in decursu operis ostendetur. Nimirum, primus gradus est ut mens et cor luminis divini illustrationi adaperiantur, qui dixit: *Fiat lux;* secundus, ut animus ab affectibus terrenis liber, firmiter inhaereat caelestibus; tertius, ut anima bonis operibus ditescat; quartus, ut lux fidei luceat coram hominibus ad Deum glorificandum; quintus, ut benedictionem circa se, fecunditatis pignus, homo diffundat; sextus, ut imaginem et similitudinem sui factoris in se plene referat.

Dux nobis erit in ista investigatione, gloriosa Dei Genitrix quae, utpote Dei cuncta componentis delicium, omnes in se rerum perfectiones in mundo sparsas mirabiliter adunat.

Romae, in festo Sanctissimae Trinitatis, 1928.

TRACTATUS
DE
OPERE SEX DIERUM

INDEX RERUM

PROEMIUM.

PAG.

1. Quanti sit facienda consideratio operis sex dierum . . . 1
2. Recta creaturarum cognitio valet ad destructionem errorum . 2
3. Quanam methodo in hoc tractatu nobis sit procedendum . 3
4. Intentio praesentis operis 3
5. Ordo tractatus 4

QUAESTIO PRIMA.
(XLIV)

DE OMNIUM ENTIUM PRIMA CAUSA.

Prologus.

1. Ratio quaestionis 6
2. Ordo quaestionis 6

ART. I. — *Utrum sit necessarium omne ens esse creatum a Deo.*

1. Quo sensu hic sumitur ens 7
2. PROP. — Necesse est dicere, omne ens, quod quocumque modo est, esse a Deo 8
3. Auctoritas S. Pauli 8
4. Patres 8

PAG.

5. Ratio theologica 9
6. Explicatur argumentum 9
7. Confirmatur 9
8. Esse causatum, proprietas omnis entis praeter Deum . . 9
9. In necessariis quoque adest praefata habitudo causati ad causam 10
10. Quaestio. — *Utrum etiam creatura corporalis sit a Deo?* . 11
11. Scholion I. — Quod aliquae creaturae videntur malae, hoc est ex incommodo quod ex eis homines percipiunt; de se autem non retrahunt a Deo 11
12. Conclusio — Implicat rem aliquam a Deo non pendere . . 12
13. Scholion II. — Fortitudo et sapientia matris Machabaeorum . 12

Art. II. — *Utrum materia prima sit creata a Deo.*

1. Insaniens materialistarum grex 13
2. Antiquorum philosophorum de materiae improductione opiniones 13
3. Reprobantur huiusmodi opiniones 14
4. Factio particularis et factio universalis 15
5. Prop. — Necessarium est dicere, materiam primam creatam fuisse ab universali causa entium, quae Deus est . . 15
6. Auctoritas 15
7. Probatur 16
8. Quaestio I. — *Utrum formae corporum sint et ipsae creatae a Deo?* 16
9. Materia non est creata sine forma 16
10. Quaestio II. — *Utrum in mathematicalibus sit habitudo causati ad causam?* 17
11. Solvitur tacita difficultas 17

Art. III. — *Utrum causa exemplaris sit aliquid praeter Deum.*

1. Ratio articuli 18
2. Ideae, exemplaria et rationes 19
3. Ratio idearum divinarum 19
4. Prop. — Deus est prima causa exemplaris omnium rerum . 20
5. Auctoritas 20
6. Probatur 20
7. Exponitur argumentum 20

PAG.

8. Scholion. — Quaedam, in rebus creatis, possunt esse quorumdam aliorum exemplaria 21
9. Corollarium. — Quomodo res pertingunt ad Dei similitudinem 22
10. Sententia ponentium exemplaria rerum extra Deum existere 22
11. Solvuntur suprapositae rationes 23
12. Solvitur difficultas 24

Art. IV. — *Utrum Deus sit causa finalis omnium rerum.*

1. Ratio articuli 25
2. Prop. I. — Ita Deus agit propter finem, ut solum intendat suam bonitatem communicare 25
3. Auctoritas 25
4. Ratio theologica 25
5. Exponitur 26
6. Verba Dantis Alighierii 26
7. Prop. II. — Divina bonitas est finis omnium rerum . . 26
8. Probatur 26
9. Quomodo bonitas creaturarum dici potest finis operationis divinae 27
10. Scholion. — Ordinatio creaturarum — ad se, inter se, ad universum, ad Deum 27
11. Solvitur difficultas 28
12. Refellitur Origenis positio 28

QUAESTIO SECUNDA.
(XLV).

DE MODO EMANATIONIS RERUM A PRIMO PRINCIPIO.

Prologus.

1. Ratio quaestionis 30
2. Ordo quaestionis 30

Art. I. — *Utrum creare sit ex nihilo aliquid facere.*

1. Creatio iarge et stricte accepta 31
2. Prop. — Creatio, quae est emanatio totius esse, est ex non ente, quod est nihil 32

PAG.
3. Sacra Scriptura 32
4. Probatur 32
5. Difficultas 33
6. Sensus particulae, EX, in hac propositione: EX NON ENTE FIT ENS 33
7. SCHOLION. — Potest particula, EX, causam materialem designare, quae negatur 34

ART. II. — *Utrum Deus possit aliquid creare.*

1. Ratio articuli 34
2. Monitum 34
3. PROP. I. — Non solum non est impossibile aliquid a Deo creari, sed etiam necesse est ponere omnia a Deo creata esse . . 34
4. Sacra Scriptura 35
5. Confirmatur 35
6. Solvitur tacita difficultas 36
7. Ecclesiae definitiones 36
8. Patres 37
9. Ratio theologica 39
10. Confirmatur 39
11. Solvitur tacita obiectio 40
12. PROP. II. — α) Creatio non est mutatio: β) attamen potest dici mutatio secundum modum intelligendi 40
13. Declaratur I^{a} Pars 40
14. Declaratur II^{a} Pars 40
15. Creatio est relatio realis in creatura, rationis in Deo . . 41
16. Creatio non est successiva, sed instantanea 41
17. Hodiernorum materialistarum contra creationem obiectiones 42
18. Generalis observatio 42
19. Respondetur praefatis difficultatibus 43
20. QUAESTIO I. — *Utrum creatio dicenda sit miraculum?* . 44
21. QUAESTIO II. — *Utrum doctrina de creatione sit de fide tenenda?* 44

ART. III. — *Utrum creatio sit aliquid in creatura.*

1. Distinctiones praemittendae 45
2. PROP. — α) Creatio, attento modo significandi, est quodammodo medium inter movens et mobile, et creatura est eius

PAG.

terminus; β) considerata autem in seipsa ex parte creaturae, ponit in ea tantummodo relationem 45
3. Probatur I[a] Pars 45
4. Probatur II[a] Pars 46
5. Confirmatur 46
6. Quaestio. — *Quodnam est prius, creatura an eius relatio?* . 46
7. Solvitur tacita obiectio 46

Art. IV. — *Utrum creari sit proprium compositorum et subsistentium.*

1. Ratio articuli 47
2. Prop. I. — Creari est proprium subsistentium et compositorum 47
3. Probatur 47
4. Solvitur tacita obiectio 47
5. Prop. II. — Accidentia et formae non subsistentes non dicuntur creari, sed magis concreari 48
6. Probatur 48
7. Quaestio. — *Quo sensu dicitur*: Prima rerum creatarum est esse? 49

Art. V. — *Utrum solius Dei sit creare.*

1. Ratio articuli 49
2. Sententia ponentium creaturas posse esse instrumenta in creatione 49
3. Opinio Magistri Sententiarum 50
4. Verba S. Thomae iunioris 50
5. Prop. — α) Ita solius Dei est creare, β) ut creatura quaecumque non possit vel instrumentaliter ad creandum concurrere 51
6. Auctoritates Sacrae Scripturae 51
7. Patres 51
8. Prob. I[a] Pars 52
9. Solvuntur difficultates 53
10. Verba Card. Satolli 54
11. Prob. II[a] Pars 54
12. Exponitur 55
13. Scholion. — Praecipue repugnat corporibus creare . . 55
14. Differentia inter creationem et miraculum 55

PAG.

15. Cur substantiae spirituales similes in specie producere nequeunt 56
16. Scholion. — Quid sibi velit, substantias immateriales facere sibi simile 57

Art. VI. — *Utrum creare sit proprium alicuius personae.*

1. Propria et appropriata in divinis personis 57
2. Prop. — α) Licet creare sit commune toti Triniati, β) personae tamen divinae, secundum rationem suae processionis, in quantum includunt attributa essentialia, scilicet intellectum et voluntatem, habent unaquaeque propriam causalitatem respectu productionis rerum 57
3. Probatur Iª Pars. 58
4. Exponitur 58
5. Probatur IIª Pars 58
6. Quo sensu in processionibus divinarum personarum respectus habeatur ad originem rerum per creationem . . . 58
7. Confirmatur 59
8. Corollarium. — Quaedam divinis personis conveniunt prout distinguuntur ab invicem per relationes, quaedam ratione alicuius attributi per respectum ad extra 59
9. Solvitur difficultas 60
10. Scholion. — Quam apte operationes vitae spiritualis reduci possunt ad appropriata divinarum personarum in relatione ad creationem 61

Art. VII. — *Utrum in creaturis sit necesse invenire vestigium Trinitatis.*

1. Differentia inter vestigium et imaginem 61
2. Prob. — α) In solis creaturis rationalibus invenitur repraesentatio Trinitatis per modum imaginis; β) in ceteris vero creaturis invenitur repraesentatio per modum vestigii . . 62
3. Probatur Iª Pars 62
4. Scholion. — Imago haec, in humana natura adumbrata, completur per gratiae donum 62
5. Probatur IIª Pars 63
6. Exponitur minor 63
7. Auctoritas S. Augustini 63

PAG.

8. Scholion. — Utilitas referendi productionem rerum ad considerationem Trinitatis 64
9. Solvuntur difficultates 64

Art. VIII. — *Utrum creatio admisceatur in operibus naturae et artis.*

1. Ratio dubitandi 65
2. Prop. — Creatio non admiscetur operibus naturae et artis, sed haec eis praesupponitur 66
3. Probatur 66
4. Satisfit rationibus supra positis 66
5. Quomodo huiusmodi formae creaturae dicuntur . . . 66
6. Quomodo producuntur formae substantiales rerum naturalium 67
7. Productio formae in rebus artificialibus 67
8. Solvitur difficultas 67

QUAESTIO TERTIA.
(XLVI).

DE PRINCIPIO DURATIONIS RERUM CREATARUM.

Prologus.

1. Ratio quaestionis 69
2. Ordo quaestionis 69

Art. I. — *Utrum universitas creaturarum semper fuerit.*

1. Sententia dicentium mundum fuisse ab aeterno . . . 70
2. Ratio articuli 70
3. Prop. — Non necessario semper extitit universitas creaturarum 71
4. Sacra Scriptura 71
5. Auctoritas Ecclesiae 71
6. Ratio theologica 72

PAG.

7. Corollarium. — Rationes adductae ad probandum mundi aeternitatem, dialecticae, non apodicticae sunt . . . 72
8. Quaestio. — *Cur voluit Deus mundum potius in tempore, quam ab aeterno produci?* 72
9. Difficultates 72
10. I. Argumenta ex parte ipsius mundi 73
11. II. Argumenta ex parte motus 73
12. III. Argumenta ex parte temporis 74
13. IV. Argumenta ex parte Dei 75

Art. II. — *Utrum mundum incoepisse sit articulus fidei.*

1. Ratio articuli 76
2. Nec contra revelationem, nec contra philisophiam hoc problema offendit 77
3. Reprobantur sententiae Card. Gerdil, Bonomelli et Vigouroux. 77
4. Verba Boetii 78
5. S. Augustini mens et sententia 78
6. Quaestio est universaliter de aliqua creatura 80
7. Haec quaestio ad experimentalem scientiam minime pertinet . 80
8. Philosophorum, qui Aristoteli praeiverunt, varia opinamenta. 82
9. Aristotelis animadversiones et sententia 83
10. Sancti Thomae ab Aristotelis sententia discrepantia . . . 84
11. S. Thomas docet, non solum demonstrari non posse impossibilitatem creationis ab aeterno, sed etiam hanc possibilem fuisse 85
12. Ausonii Franchi sententia reprehenditur 86
13. Prop. — Creatio ab aeterno fuit possibiils. 88
14. Probatur 88
15. Probatur ex propria agentis infiniti ratione 89
16. Ab indirecto res comprobatur 90
17. Corollarium. — Possibile fuit ut de facto mundus ab aeterno crearetur 91
18. I. Difficultas desumpta ex impossibilitate processus in infinitum in causis efficientibus 92
19. S. Thomae doctrina circa multitudinem infinitam . . . 93
20. Solvitur proposita difficultas 94
21. Scholion. — S. Thomas sibi ipse non contradicit . . . 96
22. II. Difficultas desumpta ex numero actu infinito animarum . 97
23. Prima solutio a S. Thoma exhibita 98

PAG.
24. Vera solutio 99
25. Advertendum circa Angelici Doctoris textum 100
26. III. Difficultas contra modum ratiocinandi S. Thomae . . 101
27. IV. Solvitur difficultas deprompta ex Dei cognitione. . . 102
28. V. Difficultas ab indirecto petita proponitur et solvitur . . 103
29. VI. Difficultas petita ex carentia primi cuiusdam diei in hac hypothesi 103
30. Dari nequit materia quaedam primordialis aeterna, quae nulli motui subiecta sit 104
31. Scholion. — Mundus creari potuit in tempore initio et fine carente 105
32. Obiectio Ausonii Franchi contra huius doctrinae utilitatem. 105
33. Huius doctrinae utilitas pro fidei oeconomia 107
34. Haec doctrina maxime necessaria pro studio geologiae . . 108
35. Geologorum circa mundi aetatem discrepantia 108
36. Necessitas cuiusdam normae praeter geologica data . . 109
37. Quodnam sit primum geologorum necnon biologorum officium 110
38. Factum creationis in tempore non est praeambulum ad fidem. 111
39. Pii IX circa falsam philosophandi rationem monitio . . . 111
40. Vanus adversariorum timor 112
41. Conclusio totius articuli 113

Art. III. — *Utrum creatio rerum fuerit in principio temporis.*

1. Praenotanda 114
2. Sensus litteralis multiplex 115
3. Prop. — Creatio rerum fuit in principio temporis . . . 115
4. Exponitur 115
5. Patres 115
6. Quatuor in initio creata 116
7. Scholion. — Varii sensus verborum, *in principio* . . . 116
8. Notandum. — Quo rensu negavit S. Augustinus, tempus materiae informi fuisse concreatum 117

QUAESTIO QUARTA.
(XLVII).

DE DISTINCTIONE RERUM IN COMMUNI.

Prologus.

PAG.
1. Magna rerum in mundo varietas 118
2. Ordo quaestionis 118

ART. I. — *Utrum rerum multitudo et distinctio sit a Deo.*

1. Mirabilis colligatio partium huius universi 119
2. Falsae assignationes causae distinctionis rerum . . . 121
3. Reprobantur istae opiniones 121
4. Avicennae opinio 122
5. Reprobatur 122
6. PROP. — Distinctio et multitudo rerum est ex intentione primi agentis, quod est Deus. 122
7. Probatur 123
8. Auctoritas Scripturae 123
9. Patres 123
10. Exponitur 124
11. Solvuntur difficultates 124

ART. II. — *Utrum inaequalitas rerum sit a Deo.*

1. Quanti momenti sit praesens doctrina facienda . . . 125
2. Solvitur tacita obiectio 126
3. Origenis vanum figmentum 126
4. Reprobatur Origenis sententia 127
5. PROP. — Sicut divina sapientia est causa distinctionis rerum, propter perfectionem universi, ita et inaequalitatis . . 127
6. Sacra Scriptura 127
7. Probatur 127
8. Exponitur 128
9. Norma Dei in mensurandis gradibus perfectionis creaturarum 128
10. Difficultas solvitur 129
11. SCHOLION. — Gaudium aeternum unicuique iuxta sua merita datur 129
12. Quonam sensu sit optimismus in mundo agnoscendus . . 130

ART. III. — *Utrum sit unus mundus tantum.*

PAG.
1. Quid sibi velit esse unum mundum tantum 130
2. PROP. — Est unus mundus tantum 131
3. Probatur 131
4. Exponitur 131
5. COROLLARIUM. — Illi posuerunt plures mundos, qui causam rerum dixerunt esse casum 131
6. Solvitur difficultas 132
7. SCHOLION. — Quid tenendum sit de systemate geocentrico . 132
8. Conclusio 132

APPENDIX.

Utrum corpora caelestia sint habitata.

1. Ratio quaesiti 134
2. Praenotandum 134
3. PROP. — Nequit opinio sustineri, quae tenet caelestia corpora ab incolis ratione et corpore praeditis frequentari . . 134
4. Sacra Scriptura 134
5. Auctoritas Ecclesiae 135
6. Ratio theologica 135
7. Confirmatur ex hominis constitutione 136
8. Vana delirantium somnia 137
9. Radix huiusmodi errorum 137
10. Solvuntur difficultates 138
11. Conclusio 139

QUAESTIO QUINTA.

(XLVIII).

DE DISTINCTIONE BONI ET MALI.

Prologus.

1. Existentia mali in mundo 140
2. Adnotandum 140
3. Ordo quaestionis 141

ART. I. — *Utrum malum sit natura quaedam.*

PAG.

1. Ratio articuli 142
2. Manichaeorum error 142
3. PROP. — Non potest esse quod malum significet quoddam esse, aut quamdam formam seu naturam, sed tantummodo absentiam boni 143
4. Auctoritas 143
5. Probatur 143
6. Malum non est constitutivum speciei in rebus naturalibus . 143
7. Quo sensu malum est constitutivum speciei in moralibus . 144
8. QUAESTIO I. — *Utrum inter bonum et malum dari possit medium* 144
9. QUAESTIO II. — *Qua ratione actio tribuitur malo* . . . 145
10. QUAESTIO III. — *Quo pacto malum spectat ad perfectionem universi* 145
11. QUAESTIO IV. — *Qua ratione, in libro Praedicamentorum, possuit Aristoteles malum, sicut bonum, esse genus quaddam* . 146
12. Solvitur difficultas 146

ART. II. — *Utrum malum inveniatur in rebus.*

1. Ratio articuli 147
2. PROP. — In rebus malum invenitur, sicut et corruptio . . 147
3. Probatur 147
4. Explicatur 147
5. Quonam sensu dicitur malum esse 148
6. QUAESTIO. — *Quare malum Deus non tollit, sed permittit esse in mundo?* 148

ART. III. — *Utrum malum sit in bono, sicut in subiecto.*

1. Praenotanda 149
2. PROP. — Subiectum mali est bonum 149
3 Probatur 149
4. Exponitur 149
5. Quomodo omne subiectum privationis est bonum . . . 150
6. Confirmatur 150
7. Solvitur difficultas 151

ART. IV. — *Utrum malum corrumpat totum bonum.*

PAG.

1. Intentio articuli 151
2. Triplex ratio boni 151
3. Refellitur falsa sententia 152
4. PROP. — α) Bonum, quod est habilitas subiecti ad formam, non tollitur totaliter per malum, β) sed tamen diminuitur, γ) in infinitum, non per se, sed per accidens, secundum quod contrariae dispositiones etiam in infinitum augentur . . . 152
5. Probatur I^a pars 152
6. Confirmatur 152
7. Quo pacto diminutio inhabilitatis sit intelligenda . . . 153
8. Probatur II^a pars 154
9. Quomodo diminutio habilitatis fieri possit in infinitum . . 154
10. Probatur III^a pars 155
11. COROLLARIUM. — Nullus est peccator qui non possit poenitere et ad Deum converti 155

ART. V. — *Utrum malum sufficienter dividatur per poenam et culpam*

1. Praenotandum 156
2. Malum consistens in subtractione actus primi, seu formae, aliud est a malo consistente in subtractione actus secundi, seu operationis 156
3. PROP. — Omne malum, in rebus voluntariis consideratum, vel est poena, vel culpa 156
4. Probatur 156
5. SCHOLION. — Quomodo subtractio formae habet ratione poenae 157
6. QAESTIO I. — *Utrum ad rationem poenae pertineat quod creatura nequeat se in esse conservare?* 157
7. QUAESTIO II. — *Utrum tentatio pertineat ad malum culpae vel poenae?* 157
8. SCHOLION. — Tentatio haberi potest tanquam sequela peccati originalis 158

ART. VI. — *Utrum plus habeat de ratione mali poena quam culpa.*

1. Praenotanda 158
2. PROP. — Culpa habet plus de ratione mali quam poena . 158
3. Suadetur 159

PAG.
4. Probatur 159
5. Exponitur 159
6. Confirmatur 160
7. Meritum et praemium comparata culpae et poenae . . 160
8. Omnia mala quae homini obveniunt, poena sunt peccati . . 161
9. Poena vindicativa et medicinalis 162
10. Diversitas mali poenae in diversis individuis 162
11. Daemones, instrumenta divinae vindictae 162

QUAESTIO SEXTA.
(XLIX).

DE CAUSA MALI.

Prologus.

1. Ratio quaestionis 163
2. Ordo quaestionis 163

ART. I. — *Utrum bonum possit esse causa mali.*

1. Ratio articuli 164
2. PROP. I. — α) Omne malum necessario habet aliqualiter causam, β) quae non potest esse nisi bonum 164
3. Probatur I^a pars 164
4. Probatur II^a pars 164
5. Malum in actione et malum in effectu actionis . . . 165
6. PROP. II. — α) Bonum est causa efficiens mali, β) non per se, sed per accidens 165
7. Probatur I^a pars 166
8. Probatur II^a pars 166
9. QUAESTIO I. — *Quisnam est sensus verborum Domini nostri* (Matth., VII, 18): NON POTEST ARBOR BONA MALOS FRUCTUS FACERE? 166
10. Solvitur difficultas 167
11. QUAESTIO II. — *Utrum praesentia mali semper arguat causam deficientem?* 167

ART. II. — *Utrum summum bonum, quod est Deus, sit causa mali.*

PAG.

1. Praenotandum 168
2. PROP. I. — Malum rei, α) sive quod invenitur in rebus naturalibus, β) sive quod infligitur creaturis rationalibus tamquam poena, Deum, habet auctorem 169
3. Sacra Scriptura 169
4. Patres 169
5. Probatur I^a pars 169
6. Solvitur tacita obiectio 169
7. Probatur II^a pars 170
8. PROP. II. — Malum actionis in agentibus liberis seu malum culpae, non reducitur in Deum, tamquam in causam . . 170
9. Probatur 170
10. SCHOLIA. — I. Excluduntur blasphemae Calvini voces, malum effective esse a Deo volitum. — II. Differentia inter Deum et navis ducem 170
11. Solvitur difficultas 171
12. Differentia inter Deum et hominem relate ad malum morale . 171

ART. III. — *Utrum sit unum summum malum quod sit causa omnis mali.*

1. Manichaeorum haeresis 171
2. Hodiernorum materialistarum deliramenta 172
3. PROP. — Non potest dari unum principium malorum, sicut est unum principium bonorum 172
4. Sacra Scriptura 172
5. Ratio theologica triplex 172
6. Rationes ponentium duo prima principia 173
7. Refelluntur praedictae rationes 174
8. Quo sensu dicitur malum et peius 174
9. QUAESTIO. — *Utrum malum sit ut in pluribus?* . . . 175

QUAESTIO SEPTIMA.
(LXVI).

DE ORDINE CREATIONIS AD DISTINCTIONEM.

Prologus.

PAG.
1. Ratio quaestionis 176
2. Ordo quaestionis 176

ART. I. — *Utrum informitas materiae tempore praecesserit formationem ipsius.*

1. Sententiarum diversitas 177
2. Duplex modus accipiendi informitatem materiae 178
3. PROP. — α) Informitas materiae, accepta pro carentia omnis formae, non praecessit formationem ipsius; β) nec accepta pro aliqua forma communi; γ) bene vero, si accipiatur pro carentia formositatis et decoris 178
4. Probatur I[a] pars 178
5. Solvitur difficultas 178
6. Probatur II[a] pars 178
7. Probatur III[a] pars 179
8. SCHOLION. — S. Augustinus simultaneam rerum productionem academica tantum ratione sustinuit 179
9. QUAESTIO I. — *Curnam, secundum S. Augustinum materia prima, in principio Geneseos, significatur nomine terrae et aquae?* 180
10. Differentia inter opus naturae et opus Dei 180
11. QUAESTIO II. — *Quotuplex distinctio ponitur in Sacra Scriptura in principio rerum?* 181

ART. II. — *Utrum una sit materia informis omnium corporalium.*

1. S. Thomae positio 181
2. Observanda circa mentem S. Thomae 182
3. Corpora caelestia non sunt animata 182
4. Generatio spontanea penes antiquos 183

PAG.
5. Respuitur generatio spontanea 184
6. Differentia inter systema generationis spontaneae et monismum haeckelianum 184
7. Sententia ponentium unam communem formam omnium corporum 185
8. Prop. — Forma corporeitatis, in omnibus corporibus, non est alia a formis quibus corpora distinguuntur 185
9. Probatur 185
10. Explicatur 186
11. Corollarium. — Falso naturalistae contendunt cuncta chimica phaenomena esse accidentales modificationes cuiusdam primigeniae materiae 186
12. Status mundi in initio, secundum recentiora naturalistarum placita 187
13. Chaoticus status mundi in initio 187
14. Dantis Alighierii descriptio primae formationis rerum . . 188

Art. III. — *Utrum caelum empyreum sit concreatum materiae informi.*

1. Ratio articuli 189
2. Creatio Angelorum secundum Patres graecos 189
3. Sententia Patrum latinorum 189
4. Scholion. — Haec sententia conformior est Textui sacro . 190
5. Describitur caelum empyreum 191
6. Scholion. — Non proprie de fide est caelum sanctorum esse caelum empyreum 191
7. Prop. — Caelum empyreum concreatum est materiae informi 192
8. Ratio theologica 192
9. Angelorum creatio in caelo empyreo 192
10. Scholion. — Non necesse est dici omnes angelos in caelo empyreo fuisse conditos 192

Art. IV. — *Utrum tempus sit concreatum materiae informi.*

1. Sententiarum differentia inter S. Augustinum et ceteros Patres 193
2. Quale fuit tempus initio creatum 194
3. Sententia S. Augustini 194
4. Quaestio I. — *Quare, inter primo creata, non computantur motus et locus?* 195

PAG.

5. QUAESTIO II. — *Quonam anni tempore conditus est a Deo mundus?* 195
6. QUAESTIO III. — *Utrum, in opere sex dierum, Deus usus sit ministerio angelorum?* 196

QUESTIO OCTAVA.
(LXVIII-LXIX).

DE OPERE DISTINCTIONIS SECUNDUM SE.

Prologus.

1. Utilitas revelationis de origine rerum 197
2. Concordia inter cosmogoniam mosaicam et recentiora physica adinventa 197
3. Variae Patrum sententiae 198
4. Observanda circa Patrum et Doctorum Ecclesiae explicationes 200
5. Cautela in accipiendis hypothesibus modernorum auctorum . 200
6. Significatio huius nominis, *dies*, in Genesi 201
7. In computandis diebus genesiacis ratio haberi debet terrestrium fossilium 202
8. Ex fossilibus indicia licet sumere primaevae productionis rerum 202
9. Ordo quaestionis 203

ART. I. — *De opere primae diei.*

1. Creatio lucis 204
2. PROP. I. — Si accipiatur nomen LUX, secundum *suam primam* impositionem, sic metaphorice in spiritualibus dicitur; si vero accipiatur secundum quod est in usu loquentium, ad omnem manifestationem extensum, sic proprie in spiritualibus dicitur 205
3. Exponitur 205
4. SCHOLION. — Utrumque dici potest, scilicet quod metaphorice et proprie lux de Deo dicatur 205
5. Quid sit lux 206
6. PROP. II. — α) Lux non est corpus, β) sed qualitas quaedam . 206
7. Probatur I^a pars 206

PAG.

8. Solvitur tacita difficultas 207
10. Corollarium. — Reiicitur newtoniana de luce theoria . . 207
11. Analogia inter propagationem lucis et soni iuxat S. Thomam 208
12. Quid de aethere imponderabili tenendum sit 209
13. Lucis origo secundum recentes theorias 209
14. Immediata Dei operatio in productione lucis 209
15. Convenientia productionis lucis in prima die . . . 210
16. Quaenam fuit lux prima die creata 210
17. Quaestio. — *Cur Moyses, in sua narratione, mentionem non fecerit aliarum proprietatum corporum, ut electricitatis, caloris, etc.?* 210
18. Non fuit, in initio, unica substantia 211
20. Applicatio huius doctrinae ad vitam spiritualem . . . 212

Art. II. — *De opere secundae diei.*

1. Opus secundae diei 213
2. Apostrophe ad aquam 213
3. Quid sit firmamentum 214
4. Notandum 214
5. Divinae providentiae actio in marium gubernatione . . 215
6. Quaestio. — *Cur de opere huius diei non dicitur id quod de ceteris operibus dictum est, scilicet, vidisse Deum quod esset bonum?* 216
7. Periodus azoica 216
8. Immediata Dei actio in opere secundae diei 216
9. Distinctio caelorum et systema planetarium secundum antiquos 217
10. Primum mobile 217
11. Caelum crystallinum 218
12. Caelum sphaerarum 218
13. Caelum planetarum 218
14. Dantis descriptio septem sphaerarum 219
15. Opinionum differentia inter S. Ioannem Crysostomum et S. Basilium 219
16. Caelum tripliciter dictum in Scripturis 220
17. Ex demonstrato falso systemate Ptolomaei nullo modo dogmati fidei derogatur 220
18. Applicatio operis huius diei ad vitam spiritualem . . . 221

ART. III. — *De opere tertiae diei.*

PAG.
1. Opus tertiae diei 221
2. Duplex terrae formatio 222
3. QUAESTIO. — *Cur terrae nomen datum est aridae, cum iam in principio creationis terra nominetur?* 222
4. Prima vitae apparitio in terra 223
5. Periodus palaeozoica 223
7. Applicatio operis huius diei ad vitam spiritualem . . . 224

APPENDIX I.

Utrum prima origo viventium citra immediatam Dei actionem possit explicari.

1. Recentiorum de vitae origine super terram audax sententia 225
2. Radix praesentis erroris 225
3. Vita non est accidens, sed ipsa substantia rerum . . . 226
4. Differentiae physicae viventium a non viventibus . . . 226
5. Virtus nutritiva, augmentativa et generativa 227
6. PROP. — Prima viventium origo nonnisi per immediatam Dei actionem explicari potest 227
7. Auctoritas S. Scripturae 227
8. Ratio theologica 228
9. Anima plantarum specifice superior est omni forma mineralium 229
10. Solvitur tacita obiectio 230
11. Prima viventium origo non potuit esse nisi a Deo . . . 230

APPENDIX II.

Utrum admitti possit evolutio unius viventis ab altero.

1. Ratio quaestionis 232
2. Peregrina evolutionismi evolutio 232
3. Quid evolutionistae docuerint 232
4. Evolutionismi causae effectrices 233
5. Darwinismus 234
6. A quibusnam agentibus ascensus praedictus perficitur . . 234
7. Evolutio accidentalis et substantialis 235
8. Distinctio specifica viventium 235

PAG.
9. Notanda 236
10. Evolutionismus, scala ad atheismum 236
11. Vana nonnullorum ad transformismum cohonestandum conamina 237
12. PROP. — Trasformismus specierum substantialium, α) non solum ut thesis, β) verum etiam ut hypothesis, impossibilis est 238
13. Probatur Iª Pars. — I. Scriptura et Patres 238
14. II. Monumenta 238
15. III. Processus embryologicus 238
16. Probatur IIª Pars 239
17. Species intermediariae impossibiles 239
18. Inclinatio anturae in unoquoque ente 240
19. Fundamentum errorum evolutionistarum 240
20. Evolutio applicata Ecclesiae eiusque dogmatibus . . . 241
21. Evolutio dogmatum secundum Al. Loisy 241

QUAESTIO NONA.
(LXX-LXXIV).

DE OPERE ORNATUS.

Prologus.

1. Triplex opus ornatus 243
2. Quid significat nomen ORNATUS 243
3. Comparatio inter opus ornatus et opus creationis et distinctionis 243
4. Ordo quaestionis 244

ART. I. — *De opere quartae diei.*

1. Descriptio operis huius diei in Genesi 245
2. Cus ex omnibus hisce corporibus, sol et luna specialiter dicuntur luminaria magna 245
3. SCHOLION. — Verba S. Thomae de sole 245
4. Descriptio operis quartae diei in liturgia Ecclesiae . . . 246
5. Alighierii descriptio de sole, luna et ordine caeli . . . 247
6. QUAESTIO. — *In quanam positione formali fuerunt sol et luna?* 248

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

PAG.

7. Relatio operis huius diei ad opus primae diei . . . 248
8. Orbium distinctio, secundum Laplace 248
9. Critica huius theoriae 249
10. Sententia ponentium corpora caelestia fuisse animata . . 250
11. Vis motiva in corporibus caelestibus 251
12. Mirabilis Dei sapientia in opere quartae diei specialiter manifestata 252
13. Scholia. — I. Ex noviter adinventis roboratur fides in Sacram Scripturam. — II. Sensus huius textus (Eccl., I, 4): *Terra in aeternum stat.* — III. S. Augustini de stellarum magnitudine sententia 253

Art. II. — *De opere quintae diei.*

1. Descriptio huius operis in Genesi 254
2. Ecclesiae vox 254
3 Notandum 254
4. Proprium opus quintae diei 255
5. Causa materialis et efficiens, ex quibus animalia producta quinta die formata sunt 255
6. Affinitas inter volatilia et pisces 256
7. Benedictio piscibus et volatilibus concessa 256
8. Mirabilis piscium popubus 256

Art. III. — *De opere sextae diei.*

1. Descriptio operis sextae diei in Genesi 257
2. Ecclesiae vox 257
3 Tres animalium terrestrium classes 257
4. Adnotanda 258
5. Cartesianismus et evolutionismus textui genesiaco repugnant . 258
6. Animalia venenosa et naturaliter ferocia 259
7. Formatio hominis 260
8. Comparatio inter opera narrationis mosaicae de quinta et sexta die et hodierna scientiae adinventa 260

APPENDIX.

De sententia S. Augustini circa opus sex dierum.

PAG.

1. Ratio quaestionis 262
2. Libri a S. Augustino conscripti circa opus sex dierum . 262
3. Creatio caeli et terrae secundum S. Augustinum . . . 263
4. Opera sex dierum secundum S. Augustinum 264
5. Formatio plantarum et animalium secundum S. Augustimum . 265
6. Quid intellexit S. Augustinus cum edixit plantas et animalia producta fuisse causaliter 265
7. Quomodo S. Augustinus Platonicorum doctrinis faverit . . 266
8. Platonis de rerum constitutione positio 267
9. Secundum S. Augustinum, septem dies creationis sunt huius dies tantum 268
10. Verba S. Augustini 269
11. Differentia inter evolutionismum et sententiam S. Augustini . 270
12. Verba S. Gregorii Nysseni 271
13. Criterium quo in sustinenda simultanea rerum productione ductus est S. Augustinus 271
14. S. Thomae sententia de interpretatione augustiniana narrationis mosaicae 271
15. Sententia S. Augustini cum sensu litterali Scripturae componi potest 272
16. Differentia sententiae S. Augustini a sententia nonnullorum recentium 272
17. Quaestio. — *Quid intellexit S. Augustinus, dum asseruit plantas et animalia formata fuisse in seminibus, aut secundum causales rationes?* 273
18. Rationes causales sunt simul seminales et ideales . . . 274
19. Verba S. Augustini 274

Art. IV. — *De pertinentibus ad septimum diem.*

1. Descriptio septimae diei in S. Scriptura 275
2. Duplex rerum perfectio 275
3. Quomodo res omnes praeextiterunt in operibus sex dierum . 276

PAG.

4. Quaestio I. — *Utrum completio operum divinorum pertineat ad septimam, vel ad sextam diem?* 277
5. Quaestio II. — *Utrum deprehendere sit aliquam relationem inter opus sextae diei et diem mortis Salvatoris?* . . . 277
6. Quo sensu dicitur Deus requievisse ab omni opeer suo . . 278
7. Quid importet benedictio et sanctificatio diei septimo attributae 278
8. Sententia dicentium mundum sex millia annorum duratiorum esse 279
9. Monitum S. Thomae 280

Epilogus. 281

TRACTATUS

DE

OPERE SEX DIERUM

PROOEMIUM

1. — Quanti sit facienda consideratio operis sex dierum. — Quam utilis res sit mentis aciem convertere ad considerationem operis sex dierum, liquido apparet perpendenti factorum divinorum meditationem ad fidem humanam de Deo instruendam valde conferre. Primo quidem, ex tali studio, divinam possumus colligere sapientiam, quae in ipsis rebus velut impressa reperitur, nam *effudit illam* (Deus) *super omnia opera sua* [1]. Praeterea, consideratio huiusmodi animum in admirationem altissimae Dei virtutis ducit, ex qua timor et reverentia Dei procedunt; etenim, *si virtutem et opera eorum* (scilicet elementorum mundi) *mirati sunt* (philosophi), *intelligant ab illis, quoniam qui fecit haec fortior est illis* [2]. Rursus, per hanc considerationem, animi hominum in amorem divinae bonitatis accenduntur; nam, quidquid bonitatis et perfectionis in diversis creaturis particulariter distributum est, totum in Deo, sicut in fonte totius bonitatis, universaliter est adunatum; unde dicitur [3]: *Delectasti me, Domine, in factura tua, et in operibus manuum tuarum exultabo.* Denique, ex hoc studio, fit in homine quaedam divinae sa-

[1] Eccli., I, 10. — [2] Sap., XIII, 4. — [3] Ps. XCI, 4.

pientiae similitudo, iuxta illud [1]: *Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur* [2].

2. — Recta creaturarum cognitio valet ad destructionem errorum. — Porro, non solum ex recta creaturarum consideratione fidei instructio in his quae Dei sunt miro modo promovetur, sed etiam errores, qui circa divinam naturam circumferuntur, efficaciter refelluntur. Fuerunt equidem qui nil nisi creaturas, quae videntur, aestimantes, Deum posuerunt esse unam ex illis, secundum illud [3]: *Sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem et lunam.... deos putaverunt.*

Alii, viceversa, id quod Dei solius est creaturis aliquibus adscripserunt, iuxta illud [4]: *Incommunicabile nomen lapidibus et lignis imposuerunt;* nimirum, hoc ignorantiae creaturae debetur, quod ei aliquid attribuitur quod eius natura non patitur, sicut ignorantiae de homine deberetur quod ei attribueretur habere tres pedes: in quem errorem labuntur qui rerum creationem, vel futurorum cognitionem vel miraculorum operationem aliis causis quam Deo adscribunt.

Item non defuerunt qui creaturas non recte inspicientes, aliquid in eis divinae detraxerunt operationi, dicentes, puta, eas non ex divina voluntate, sed ex necessitate naturae a Deo procedere, aut easdem divinae providentiae ordini subtrahentes, quasi haec non possit operari praeter solitum cursum naturae. Demum homo ipse, studium creaturarum negligens, noxam sibi infert, dum conditionem suam nimis parvi pendit, putans se aliquibus creaturis, quibus certe superior est, se esse subiectum, ut patet in his qui animam humanam mortalem esse existimant, aut voluntates hominum astris supponunt.

Falsa est ergo eorum sententia, qui dicunt nihil interesse ad fidei veritatem, quid de creaturis quisque sentiat, dummodo circa Deum recte procedatur; nam et ipsa Scriptura iis, qui circa creaturas sic errant, poenas, sicut infide-

[1] 2 Cor., III, 18. — [2] Cf. L. II Contra gent., c. 2. — [3] Sap., XIII, 2. — [4] Ibid., XIV, 21.

libus, comminatur, dicens [1]: *Quoniam non intellexerunt opera Domini et in opera manuum eius, destrues illos et non aedificabis eos* [2].

3. — **Quanam methodo in hoc tractatu nobis sit procedendum.** — Sciendum autem alia philosophum, theologum alia methodo procedere in rerum mundi investigatione instituenda. Etenim, dum philosophus has res considerat secundum quod in se sunt, fides christiana, e contra, eas considerat formaliter in quantum divinam altitudinem repraesentant et in ipsum Deum quoquo modo ordinantur, secundum illud [3]: *Gloria Domini plenum est opus eius. Nonne Dominus fecit sanctos enarrare omnia mirabilia sua?* Unde philosophus ea considerat quae rebus, secundum naturam propriam conveniunt, sicut igni ferri sursum; fidelis autem ea solum considerat, circa creaturas, quae eis conveniunt, secundum quod sunt ad Deum relata, utpote quod sunt a Deo creata, quod sunt Deo subiecta, et cetera huiusmodi [4].

4. — **Intentio praesentis operis.** — Quae cum ita constiterint, iam facile intelligitur nostram hic intentionem non esse rerum huius mundi proprietates, iuxta physicae aut chimicae scientiae leges, singillatim investigare, sed easdem rimari in quantum a Deo profectae, in Dei honorem et gloriam cedunt. Quocirca compatibilis omnino est nostra haec doctrina cum disciplinarum, ut dicunt, experimentalium profectu; nec mirum cuique esse debet, si qua de mundi constitutione veteres theologi tanquam explorata tradiderint aut saltem ut probabilia habuerint, naturae viribus magis magisque exploratis, tanquam improbabilia postea fuerint habita. Unde plures quoque, in processu operis, veterum sententias dimittemus, memores horum verborum Leonis Papae XIII [5]: *Si quid est a doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum; si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile, id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi.*

[1] Ps. XXVII, 5. — [2] S. Thom., l. cit., c. III. — [3] Eccli., XLII, 16, 17. — [4] S. Thom., loco cit., cap. IV. — [5] Encycl. *Aeterni Patris*, 4 Aug., 1879.

5. — **Ordo tractatus.** — Ex Sacrae Scripturae simul et Traditionis documentis accipimus tria, in prima rerum productione, sedulo esse distinguenda, videlicet, opus creationis (I-III), opus distinctionis (IV-VIII) et opus ornatus (IX). Et primum quidem opus postulat ad examen revocari, tum attenta prima causa producente, quae Deus est (I), tum attentis rebus productis quoad modum procedendi earumdem a prima causa (II-III), scilicet, quoad earumdem eductionem e nihilo, seu creationem (II), et earum principium durationis (III). — Opus autem distinctionis dupliciter debet inspici, attenta scilicet distinctione rerum generali (IV-VI) et speciali (VII-VIII). Et prior quidem distinctio consideranda venit, primum in communi (IV), et secundo, attenta differentia boni et mali (V-VI), quae differentia proponitur considerandа, primo in se (V), et secundo, quantum ad causam mali (VI). Altera quoque distinctio, scilicet specialis, dupliciter consideranda obiicitur: nempe communiter (VII), et singillatim (VIII). — Demum consideratione operis ornatus, ut diximus, totus absolvetur tractatus (IX).



Hinc novem in hoc tractatu quaeruntur.

Primo. De omnium entium prima causa (XLIV).

Secundo. De modo emanationis rerum a primo principio (XLV).

Tertio. De principio durationis rerum creatarum (XLVI).

Quarto. De distinctione rerum in communi (XLVII).

Quinto. De distinctione boni et mali (XLVIII).

Sexto. De causa mali (XLIX).

Septimo. De ordine creationis ad distinctionem (LXVI).

Octavo. De opere distinctionis secundum se (LXVII-LXIX).

Nono. De opere ornatus (LXX-LXXIV).

QUAESTIO PRIMA.

(XLIV).

DE OMNIUM ENTIUM PRIMA CAUSA.

PROLOGUS.

1. — **Ratio quaestionis.** — Acturi, in hoc tractatu, primo loco de productione creaturarum, operae pretium est ut, tanquam fundamenti instar statuamus, omnes res a Deo promanare, ab ipso in suis quasque speciebus collocari et ad eum finaliter tendere: quibus considerationibus hinc quidem patebit omnimoda rerum a prima causa, quae Deus est, dependentia; illinc vero quomodo dignum ac iustum sit ut supremum hunc Dominum, adoratione et reverentia, admiratione et laude, amore atque devotione, omnes res, pro modo suo, prosequantur: — adoratione et reverentia, quia Deus est prima omnium rerum et etiam materiae efficiens causa; admiratione et laude, quia aliquod suae perfectionis vestigium in eis impressit; amore ac devotione, quia bonitatem suam eisdem participando, factus est omnium finis.

2. — **Ordo quaestionis.** — His cohaerenter, in relatione ad res, quaerendum est de Deo secundum ordinem causarum — efficientis, (1-2) et quidem, tum generaliter (1), tum quantum ad materiam rerum (2), exemplaris (3) et finalis (4). — Notandum autem hic apparenter praetermitti causam formalem intrinsecam, quae tamen realiter tangitur agendo de materia, quae sine forma esse non potest, et de qua ex professo inferius agetur, ubi de rerum distinctione tractabitur [1]. Cum autem creatura corporalis specialem praesen-

[1] Quaest. XLVII.

tet difficultatem, tum quantum ad illius originem ex parte Dei. tum quantum ad eius finalitatem, hinc doctrinam, quam de hac re tradit S. Thomas in quaestione LXV, ad calcem respective articulorum huius quaestionis heic adducemus.



Quocirca, quatuor hic quaeruntur:

Primo. Utrum Deus sit causa efficiens omnium entium.

Secundo. Utrum materia prima sit creata a Deo, vel sit principium ex aequo coordinatum ei.

Tertio. Utrum Deus sit causa exemplaris rerum, vel sint alia exemplaria praeter ipsum.

Quarto. Utrum ipse sit causa finalis rerum.

ARTICULUS I. — *Utrum sit necessarium omne ens esse creatum a Deo.*

1. — **Quo sensu hic sumitur ens.** — Ad quaesiti intelligentiam, recolendum est ly *ens*, dupliciter sumi posse: uno modo, pro ente communiter, prout est trascendens, et sic non univoce, sed analogice sumitur: et hoc modo quodcumque ens comprehendit, scilicet, tum ens per essentiam, tum ens per participationem. Alio modo, sumitur ens secundum quod ea tantummodo comprehendit, quorum esse non est eorum essentia. Porro, non priori sensu hic sumitur ens, sed secundo: cum esse causatum non sit de ratione entis communiter, nam in latitudine entis aliquod ens invenitur, cui non competit esse causatum, scilicet Deus. Igitur, secundo modo sumitur ens: prout scilicet dicitur per participationem, et de eo significari vult, quod esse causatum a Deo sit de illius

ratione [1]. — Ulterius advertendum est, esse creatum. hic, aequivalere τῷ esse causatum, cum nonnisi quaestione sequenti de creatione ex professo sit tractandum: unde, in responsione, S. Thomas simpliciter concludit omne ens esse a Deo, inspecta scilicet causa efficiente.

2. — PROP. — **Necesse est dicere, omne ens, quod quocumque modo est, esse a Deo.**

3. — **Auctoritas S. Pauli.** — Profundam hanc veritatem solemniter resonat S. Paulus, dum ait [2]: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in saecula. Amen* [3]. Ubi, ut perbelle notat Cornelius a Lapide [4], licet haec tria conveniant tribus personis SS.mae Trinitatis, tamen, ut docet S. Augustinus [5], et post eum Doctores passim, praepositio *ex* appropriatur Patri, eumque insinuat tanquam primum omnium principium; *per* appropriatur Filio, significans sapientiam per quam facta sunt omnia; *in* appropriatur Spiritui Sancto, qui est amor notionalis Patris et Filii [6].

4. — **Patres.** — Circa hunc S. Pauli locum, advertit S. Basilius [7], arianos syllabas ita observasse, ut per τό *ex quo* vellent significari mundi Conditorem; per τό *per quem*, operis ministrum et instrumentum; per τὸ *in quo*, tempus et locum operis: unde Filius esset tantummodo instrumentum Patris; Spiritus Sanctus vero, locus aut tempus rebus statutum. At, ut ipsemet S. Doctor subiungit [8], praepositiones huiusmodi aeque tribus personis competunt; unde nonnisi per appropriationem singulis tribuuntur.

Explicitius ad rem S. Augustinus [9]: *Nec facile invenio nomen quod tantae excellentiae conveniat, nisi quod melius ita dicitur: Trinitas haec, unus Deus, ex quo, per quem, in quo omnia; eadem una substantia... Et tria haec, unum omnia*

[1] Ad 1[m]. — [2] Rom., XI, 36. — [3] Notandum, pro *in ipso*, in graeco legi, *in ipsum*, εἰς αὐτόν. — [4] Comment. in h. l. — [5] L. I de Trin., c. VI. — [6] Circa appropriationem, vide quae scripsimus in tr. DE SS.MA TRINITATE, Quaest. XXXIX, art. 7 et 8, pp. 340, seq. — [7] L. de Spiritu Sancto, c. 2. — [8] C. 3. — [9] L. I, de Doctr. Christ., c. 5.

propter Patrem, aequalia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum Sanctum. — Egregie quoque S. Bernardus [1]: *Ex quo omnia, creabiliter, non seminabiliter ; per quem omnia, ne alium auctorem atque alium opificem arbitreris; in quo omnia, non quasi in loco, sed quasi in virtute.* — Quocirca, in Symbolo Nicaeno-Constantinopolitano profitemur: *Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium.*

5. — **Ratio theol.** — Omne quod est tale per participationem, necessario est ab eo quod est tale per essentiam. Atqui omne aliud a Deo est ens per participationem, Deus autem est ens per essentiam. Ergo omne ens, quod quocumque modo est aliud a Deo, necessario est a Deo causatum.

6. — **Explicatur argumentum.** — *Maior* clarescit exemplo ignis: omne quippe quod est ignitum oportet ut sit tale ab igne. — *Minor* vero declaratur recolendo, Deum esse ipsum esse per essentiam per se subsistentem, cetera vero non esse entia per essentiam, sed per participationem: nam esse subsistens non potest esse nisi unum, sicut si albedo esset subsistens, non posset esse nisi una, cum multiplicetur secundum recipientia. Ergo necesse est omnia, quae diversificantur secundum diversam participationem essendi, ut sint perfectius et minus perfecte, causari ab uno primo ente, quod perfectissime est.

7. — **Confirmatur** auctoritate Platonis dicentis [2] quod necesse est, ante omnem multitudinem, ponere unitatem. Similiter, Aristoteles ait [3] quod id quod est maxime ens et maxime verum est causa omnis entis et omnis veri; sicut id quod est maxime calidum, est causa omnis caliditatis.

8. — **Esse causatum, proprietas omnis entis praeter Deum.** — Ex dictis consequitur, de ratione cuiuscumque entis esse, ut referatur ad Deum tanquam causatum ad primam

[1] L. V, de Consider., c. 6. — [2] Parmen., c. 36. — [3] L. II, Metaphysic., t. 4.

causam : quae quidem habitudo non est de ratione seu essentia entis, quo modo rationalitas est de ratione seu essentia hominis, unde in entis definitione huiusmodi habitudo non ponitur ; consequitur tamen necessario essentiam omnis entis tanquam proprium eiusdem, ea ratione qua risibilitas consequitur ipsam essentiam hominis. Quocirca, dum res aliqua potest esse sine accidente communi, sicut homo potest esse sine albedine, cum albedo sit accidens commune, quod potest esse vel non esse salva substantia hominis, e contra, nequit esse sine accidente proprio, quod licet non sit de ratione rei, intelligitur tamen fluere ex ipsamet substantia, sicut de substantia animae fluunt eius potentiae [1]. — Unde concipi debet omne ens, praeter Deum, quasi necessario contrasignatum nota suae a Deo derivationis, propter quod oculos semper ad factorem nostrum attollere debemus, iuxta illud [2] : *Beatus, cuius Deus adiutor eius : spes eius in Domino Deo ipsius, qui fecit coelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt.*

9. — In necessariis quoque adest praefata habitudo causati ad causam. — Equidem, necessaria ea sunt quae non possunt non esse, sicut non potest non esse quin tria et tria faciant sex, quin anima humana sit incorruptibilis ab intrinseco, etc. ; e contra, contingentia dicuntur quae possunt esse et non esse, sicut potest esse et non esse haec arbor, hic homo. Et quidem, in rebus contingentibus talis habitudo causati ad causam adest, ut indigeant causa ut sint ; in rebus autem necessariis, praefata habitudo hoc sensu adest, quod non haberent esse, nisi esset Deus a quo suum esse habent, seu effectus non esset, si causa non esset, sicut in scientiis demonstrativis, non essent conclusiones necessariae, si non essent principia necessaria : unde non est dicendum, sicut quidam posuerunt, id quod est necessarium, non habere causam [3] ; sed potius cum Aristolele concludendum est, esse quaedam necessaria quae habent causam suae necessitatis [4]. — Notat hic opportune S. Thomas, conditio-

[1] Ad 1[m]. — [2] Ps. CXLV, 5. — [3] Ad 2[m]. — [4] L. V. Metaphysic., t. 6.

nalem hanc, *effectus non esset, si causa non esset*, esse veram, sive antecedens et consequens sint possibilia, sive sint impossibilia: quod sibi vult veritatem propositionum conditionalium non pendere a verificatione antecedentis et consequentis, sicut si dicerem: *Si homo esset avis, volaret.*

10. — **Quaestio.** — *Utrum etiam creatura corporalis sit a Deo?*

Resp. Proponitur haec quaestio, quia cum creaturae corporales in multis noxiae videantur, ut puta, in serpentibus, in aestu solis et huiusmodi, praeterea hominem a Deo saepe retrahant, ideo non a bono Deo, sed a malo principio factae dicendae erunt, quod et Apostolus asseruisse videtur, cum dixit [1]: *Deus huius saeculi excaecavit mentes infidelium.*

At, contra, necesse est esse unum essendi principium, a quo esse habent quaecumque sunt quocumque modo, sive sint invisibilia et spiritualia, sive sint visibilia et corporalia. Nam, cum diversa non possint in uno uniri, nisi per aliquam causam adunantem, quandocumque in diversis invenitur aliquod unum, oportet quod illa diversa illud unum ab aliqua una causa recipiant. Atqui in omnibus creaturis, tam corporalibus, quam spiritualibus, invenitur aliquod unum commune, scilicet esse. Ergo necesse est omnes creatas res, sive invisibiles, sive visibiles, recipere esse ab una causa, quae est Deus. — Quod autem Apostolus appellaverit diabolum *deum huius saeculi*, intelligendum est, non creatione, sed quia saeculariter viventes ei serviunt: eo loquendi modo quo de eis, qui ventri voluptatibus indulgent, ait [2]: *Quorum deus venter est* [3].

11. — **Scholion.** — Quod autem creaturae videntur malae, hoc est quia existimantur non ex propria natura, sed ex commodo quod homines ex eis percipiunt, non considerantes eas non habere bonum universale, sed particulare et contractum, propter quod una creatura alteri contrariatur: unde quod uni nocivum est, alteri potest esse proficuum [4]. — Pariter, falso dicitur creaturas de se retrahere a Deo, cum potius ad

[1] 2 Cor., IV, 4. — [2] Phil., III, 19. — [3] 1, Quaest. LXV, art. 1. — [4] Ibid. ad 2[m].

ipsum ducant, ut observat S. Paulus [1]: unde, quod interdum avertant hominem a Deo, hoc est propter illius insipientiam qui eis non, ut decet, utitur [2].

12. — Conclusio. — Ex dictis concludere possumus quod, etsi fieri possit ut res aliqua a causa secunda non dependeat, implicat tamen vel minimum ens non pendere a Deo; nec minus exiguam atomum, oculis nostris invisibilem, ab eo pendere, quam maius inter corpora caelestia: unde quidquid est utcumque, stricto iure ad Deum pertinet, iuxta illud [3]: *Meae sunt omnes ferae sylvarum, iumenta in montibus et boves; cognovi omnia volatilia caeli et pulcritudo agri mecum est. Si esuriero non dicam tibi: meus est enim orbis terrae et plenitudo eius.*

13. — Scholion. — Egregie veritatem hanc incomparabilis Machabaeorum mater praedicavit, cum animo virili septem filios suos hortabatur ut vitam generosi darent pro patriis legibus. *Nescio.* aiebat ipsa [4], *qualiter in utero meo apparuistis: neque enim ego spiritum et animam donavi vobis et vitam, et singulorum membra non ego ipsa compegi: sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, et spiritum vobis iterum cum misericordia reddet et vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter leges eius.* Quae iuniorem ex filiis suis, ultimum domus suae superstitem, quem impius tyrannus ad suam voluntatem promissis fortuna et dignitatibus adducere sperabat, non minori sapientia et fortitudine, mirabilis illa mulier ulterius adhortabatur [5]: *Fili mi, miserere mei, quae te in utero novem mensibus portavi, et lac triennio dedi et alui, et in aetatem istam produxi; peto, nate, ut adspicias ad caelum et terram, et ad omnia quae in eis sunt, et intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus et hominum genus: ita fiet, ut non timeas carnificem istum.* Stupenda confessio, quae in compendio complectitur doctrinam philosophicam et christianam, circa originem rerum mundanarum.

[1] Rom. I, 20. — [2] Ad 3m. — [3] Ps. XLIX, 10-12. — [4] 2 Mach., VII, 22, 23. — [5] Ibid., 27-29.

ARTICULUS II. — *Utrum materia prima sit creata a Deo.*

1. — **Insaniens materialistarum grex.** — Materiam non esse a Deo productam, sed esse a se et consequenter sine principio ac fine suae durationis, proclamavit, temporum decursu, sed maxime proxime elapso saeculo, insaniens materialistarum grex, nulla adducta ratione, nisi quod, sensuum apparentia totaliter praeoccupati, vanum prorsus duxerint omnem de re immateriali conceptum [1].

Quos ita perstringit auctor libri Sapientiae [2]: *Vani* [3] *autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, et de his quae videntur bona non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes, agnoverunt quis esset artifex; sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem et lunam rectores orbis terrarum deos putaverunt. Quorum si specie delectati deos putaverunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est: speciei enim generator haec omnia constituit. Aut si virtutem et opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis quoniam qui haec fecit fortior est illis: a magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter* [4] *poterit creator horum videri.*

2. — **Antiquorum philosophorum de materiae inproductione opiniones.** — Porro, etsi modernorum materialistarum placita, eo quod omni serio ratiocinio destituuntur, nihil nisi contemptum mereantur, iustum tamen est ut antiquorum de hac re opiniones recitemus, utpote quae, velut laudabilia tentamina veritatem versus, propitiam nobis occasionem praebent philosophiae peripateticae doctrinam de mutationibus penitius examinandi.

[1] Sic, materialista Büchner, in suo libro *Forza e materia*, c. 13, ait: *Noi non abbiamo scienza nè concetto veruno dell'assoluto, dell'eterno, dell'infinito, poichè la nostra intelligenza non si spinge di là del mondo sensibile che ne circonda; e la nostra mente è vincolata, come i sensi, nei limiti dello spazio e del tempo.* — [2] XIII, 1-5. — [3] Graece ματαῖοι, unde vox italica, *matti*. — [4] Ἀναλόγως, id est. *proportionaliter.*

I. Imprimis, quidam reputantes alia entia non esse, nisi corpora constituta diversis elementis, tanquam principiis substantialibus [1], posuerunt totam substantiam corporum esse materiam, et formas in eisdem corporibus existentes esse tantummodo accidentales. Consequenter, aiebant talia corpora transmutari de una forma accidentali in aliam, non discernentes formam accidentalem a forma substantiali, et huiusmodi accidentalis trasmutationis ponebant aliquas causas, ut puta, litem et amicitiam [2], intellectum, aut aliquid huiusmodi; substantiam autem ponebant improductam.

II. Quidam vero propius ad veritatem accesserunt, ponentes distinctionem inter formam accidentalem et substantialem, et materiam. Viderunt enim, quod non solum fiebant trasmutationes de una forma accidentali in aliam, ut priores dixerunt, sed etiam inter formas substantiales; et animadverterunt materiam esse modo sub una, et modo sub alia forma substantiali. Et propterea posuerunt causas harum transmutationum, utpote obliquum circulum secundum Aristotelem, vel ideas, scilicet separatas, secundum Platonem. Et per consequens posuerunt causas ipsius esse substantialis, quod datur per formas substantiales, et secundum hos etiam dicendum est quod materia erat increata, et non causata ab aliquo, cum in talibus transmutationibus semper supponeretur materia.

3. — Reprobantur huiusmodi opiniones. — Porro, decepti sunt praefati philosophi non considerantes ens in quantum ens, sed tantum hoc vel illud ens, tale vel tale ens. E contra, sciendum quod, per transmutationem, quae fit inter formas substantiales, non producitur ens inquantum ens, sed ens tale, huius vel illius speciei; per formam enim contrahitur materia ad determinatam speciem, et multo minus per transmutationes quae fiunt inter formas accidentales, per quas producitur tantummodo esse accidentale. Unde huiusmodi

[1] Sic Taletes aquam ponebat principium constitutivum mundi; Anaximenes, aerem; Heraclitus ignem, et ita porro. — [2] Sic Empedocles. Vide Diogen. Laert., l. VIII; Plutarch., de Placitis Philosoph. L. I, c. 3.

factiones, in quibus supponitur materia iam producta, sunt particulares, et non universales. Et quia isti philosophi consideraverunt tantum has particulares factiones, propterea dixerunt quod materia prima erat improducta.

4. — **Factio particularis et factio universalis.** — Igitur, ad intelligendum quomodo asseri debeat materiae productio ex parte Dei, habito respectu ad supra enunciatas materialistarum positiones, distinguenda venit duplex factio: scilicet particularis et universalis. Prior est de forma in formam, sive haec sit accidentalis, ut quando paries ex albo fit niger, sive sit substantialis, ut quando ex cibo fit caro; secunda vero est emanatio totius entis a primo rerum essendi principio. Porro, prior factio semper supponit subiectum, ideoque per illam non potest produci materia prima; sed illud quod fit per huiusmodi factionem, necessario est compositum ex subiecto et forma. In secunda factione vero, non praesupponitur aliquod subiectum, sed tota rei entitas et omne id quod spectat ad rei entitatem producitur: et per huiusmodi factionem materia prima producitur [1].

5. — PROP. — **Necessarium est dicere, materiam primam creatam fuisse ab universali causa entium, quae Deus est.**

6. — **Auctoritas.** — Solent, ad hoc comprobandum, adduci, tanquam S. Augustini, verba ista: *Duo fecisti, Domine: unum prope te*, scilicet angelum; *aliud prope nihil*, scilicet materiam primam. — At verba S. Doctoris sunt [2]: *Fecisti caelum et terram, non de te: nam esset aequale Unigenito tuo, ac per hoc et tibi; et nullo modo iustum esset, ut aequale tibi esset, quod de te non esset... Tu eras, et nihil aliud unde fecisti caelum et terram, duo quaedam: unum prope te, alterum prope nihil; unum quo superior tu esses, alterum quo inferius nihil esset.* — At, ut ulterius textum S. Augustini perlegenti constat, per caelum hic intelligit caelum caeli, id est creaturam angelicam semper in actu contemplationis Dei; per terram

[1] Ad 1. — [2] L. XII Confess., c. 7, t. I, col. 211.

vero, materiam informem, invisibilem et incompositam. — Ad rem quod ait S. Basilius [1], scilicet *caelum et terram, quasi fundamenta quaedam et bases fulcrales universi, prius iacta fuisse et praestructa.*

7. — **Prob.** — Causa producens omnia ea quae spectant ad esse rerum quocumque modo, oportet ut sit causa materiae primae. Atqui universalis causa entium, quae Deus est, qui est causa entis in quantum est ens, producit omnia quae spectant ad esse rerum quocumque modo. Ergo necesse est dicere huiusmodi causam produxisse materiam primam. — Ratio *maioris* est, quia materia spectat ad esse rerum materialium tanquam pars. — *Minor* resultat ex differentia quae est inter agens particulare et universale. Et illud quidem non producit totam entitatem rei; hoc vero producit omnia spectantia ad esse rei. — Quae cum ita sint, rite legitur apud S. Ioannem [2]: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.*

8. — **Quaestio I.** — *Utrum formae corporum sint et ipsae creatae a Deo?*

Resp. Cum, in transmutationibus corporalibus, formae corporales causentur materia reducta de potentia in actum ab aliquo agente composito, in prima autem corporalis creaturae productione non consideretur aliqua transmutatio de potentia in actum, ideo formae corporales, quas in prima productione corpora habuerunt, sunt immediate a Deo productae, cui soli, tanquam propriae causae, ad nutum obedit materia [3].

9. — **Materia non est creata sine forma.** — Erraret igitur turpiter qui putaret materiam primam creatam fuisse de se, scilicet independenter ab omni forma; sed simul creata fuit cum forma, etsi sine formositate qua illam videmus ornatam. Nam, materia prima de se est in potentia tantum; omne agens autem agit sibi simile, et praecise in quantum est agens, est in actu; unde eius effectus, ut ei assimiletur,

[1] Homil. I. Exam. — [2] I, 3. — [3] 1, Quaest. LXV, art. 4.

debet esse in actu. Quocirca, quod est in potentia tantum, si solitarie sumatur, non est factum per se; potest tamen esse factum secundum quod est pars eius quod est in actu, cum non omne creatum sit actus purus. Igitur, cum dicitur materia prima creata a Deo, hoc intelligendum est cum forma, saltem rudimentali [1].

A vero pariter longe abiret, qui imaginaretur materiam a Deo conditam fuisse sub quadam generali forma corporeitatis, cum corporeitatis forma non sit alia a formis quibus corpora ab invicem distinguuntur [2].

10. — Quaestio II. — *Utrum in mathematicalibus sit habitudo causati ad causam?*

Resp. Mathematicalia possunt dupliciter considerari: primo, materialiter, seu prout habent esse in rerum natura; alio modo, formaliter, scilicet prout sunt abstracta per intellectum a materia sensibili. Igitur, si primo modo considerentur, dicenda sunt habere causam: linea enim prout existit in corpore habet causam; si vero mathematicalia considerentur secundo modo, sic non habent causam efficientem, quia prout abstrahunt ab esse, non convenit eis habere causam effectivam. Quocirca, ex hoc deduci non debet reperiri aliquod ens quod non habeat causam efficientem, cum in ente pure rationis non sit locus considerationi causae efficientis [3].

11. — Solvitur tacita difficultas. — Obiicienti, cuncta quae fecerit Deus esse bona, iuxta illud [4]: *Vidit cuncta quae fecerat et erant valde bona;* materiam primam vero non esse bonam, cum non sit ens, — respondetur verbis S. Thomae [5]: *Cum enim materia sit ens in potentia secundum se considerata, forma vero sit actus eius, substantia vero composita sit actu existens per formam, forma quidem erit secundum se bona, substantia vero composita, prout actu habet formam, materia vero secundum quod est in potentia ad formam. Et licet unumquodque sit bonum in quantum est ens, non tamen oportet*

[1] Ad 3[m]. — [2] 1, Quaest. LXVI, art. 2, ad 3[m]. — [3] Ad 3[m]. — [4] Gen., I, 31. — [5] L. III Contra Gent., c. 20.

quod materia, quae est ens solum in potentia, sit bona solum in potentia; ens enim absolute dicitur, bonum autem et in ordine consistit; non enim solum aliquid bonum dicitur quia est finis, vel quia est obtinens finem, sed etiamsi nondum ad finem pervenerit, dummodo sit ordinatum in finem, ex hoc ipso dicitur bonum. Materia ergo non potest simpliciter dici ens, ex hoc quod est potentia ens, in quo importatur ordo ad esse; potest autem ex hoc simpliciter dici bona propter ordinem ipsum. In quo apparet quod bonum quodammodo amplioris est ambitus quam ens. Propter quod Dionysius dicit in libro de Divinis Nominibus [1] *quod bonum se extendit ad existentia et non existentia; nam et ipsa non existentia, scilicet materia, secundum quod intelligitur privationi subiecta, appetit bonum, scilicet esse: ex quo patet quod etiam sit bona; nihil enim appetit bonum, nisi bonum.*

Articulus III. — *Utrum causa exemplaris sit aliquid praeter Deum.*

1. — Ratio articuli. — Cum Deus sit supremus artifex omnium rerum, ad hoc ut plene cognoscatur prima mundi origo, necesse est inquirere utrum penes se habeat exemplaria omnium quae sunt. Artifex enim, ut determinatam rem producat, debet penes se habere exemplar ad quod attentionem suam dirigat, sive hoc inveniatur extra se, sicut accidit mediocribus artificibus qui naturam aut aliorum opera imitantur, sive illud in mente sua concipiat, quo modo homines superioris ingenii ex ditissimo imaginationis suae fundo exemplaria illa ducunt, quae postea in marmore aut tabula exequuntur. Exemplaria nimirum requiruntur ut opus non inconsulto, sed secundum determinatam formam edatur.

Porro, si in opera naturae oculos coniiciamus, ea videbimus determinata forma donari, ob quam alia ab aliis distinguuntur, et cuncta harmonicam complexionem efformare, ex quibus necessario deducitur existentia exemplaris vel exemplarium in mente Dei, quae exemplaria rationes seu ideae etiam dicuntur, de quibus modo instituitur quaestio.

[1] C. 4.

Advertendum hic est, non esse proprie huius loci intentionem ostendere quod ideae sunt in Deo, cum de hoc ex professo actum sit in tractatu *de pertinentibus ad divinam operationem* [1]; sed quod ideae seu exemplaria aut rationes rerum sint in ipso Deo, et non aliquid praeter Deum.

2. — Ideae, exemplaria et rationes. — Necesse vero est, ad omnem aequivocationem praecavendam, advertere, haec tria, quae promiscue solent usurpari, scilicet, rationes, exemplaria et ideas, si quidem velimus accuratius loqui, in hoc distingui, quod rationes, proprie, sunt principia cognitionis; exemplaria, principia operationis; ideae utrumque promiscue significant. Ad rem S. Thomas [2]. *Secundum quod est principium factionis rerum,* (idea) *exemplar dici potest, et ad practicam cognitionem pertinet: secundum autem quod principium cognoscitivum est, proprie dicitur ratio, et potest etiam ad scientiam speculativam pertinere. Secundum ergo quod exemplar est, secundum hoc se habet ad omnia quae a Deo fiunt secundum aliquod tempus; secundum vero quod principium cognoscitivum est, se habet ad omnia quae cognoscuntur a Deo, etiamsi nullo tempore fiant, et ad omnia quae a Deo cognoscuntur secundum propriam rationem, et secundum quod cognoscuntur ab ipso per modum speculationis.*

3. — Ratio idearum divinarum. — Porro, si quis rem penitius rimetur, facile deprehendet rationem idearum reponi in imitabilitate ad extra divinarum perfectionum. Etenim, non solum Deus est infinitus in sua perfectione, sed etiam est infinite imitabilis ad extra, quia omnis possibilis extrinseca manifestatio divinae bonitatis necessario finita est, et sic deficit a magnitudine rei quam manifestat: unde nullus talium manifestationum numerus exhaurire potest imitabilitatem divinae bonitatis. At vero, isti infiniti modi imitabilitatis divinae bonitatis actuari nequeunt, quia repugnat multitudinem infinitam actu existere; aliunde potuit Deus libere eligere, inter omnes possibiles manifestationes suae bonitatis, quas ipse voluit: et praecise praesentem or-

[1] Quaest. XV. — [2] Ibid., art. 3.

dinem, inter infinitos ordines possibiles elegit, per quem attributa sua extrinsece manifestarentur. — Pulcre Fénelon [1]: *Tout porte donc la marque divine dans l'univers: les cieux, la terre, les plantes, les animaux, et les hommes plus que tout le reste. Tout nous montre un dessein suivi, un enchaînement de causes subalternes conduites avec ordre par une cause supérieure.*

4. — PROP. — **Deus est prima causa exemplaris omnium rerum.**

5. — **Auctoritas.** — Praecipue hac in re auctoritas est S. Augustini, de ideis divinis egregie disserentis, quas ait esse formas principales, quae divina intelligentia continentur [2]. — Utique quibusdam visum est contrarium haberi in auctore libri *de divinis Nominibus*, dum ait quod ipsum secundum se esse, prius est eo quod est per se vitam esse, et eo quod est per se sapientiam esse: at, ut advertit S. Thomas [3], per ly *per se esse, per se vitam esse, per se sapientiam esse*, non intelligit auctor ille aliquas res subsitentes, quae sint separatae a singularibus, sicut antiqui posuerunt; sed intelligit aliquando significare ipsum Deum, qui est per se esse, per se vita, per se sapientia; vel intelligit virtutes ipsis rebus datas.

6. — **Prob.** — Ad rationem primae causae exemplaris omnium rerum pertinet ut habeat penes se rationes, seu ideas et exemplaria omnium rerum identificata cum sua essentia. Atqui Deus habet penes se rationes, seu ideas et exemplaria omnium rerum quae sunt idem cum sua essentia. Ergo Deus est prima causa exemplaris omnium rerum.

7. — **Exponitur argumentum.** — *Maior* est ipsa definitio causae primae exemplaris: nimirum, quia est prima causa, determinans omnibus rebus naturalibus proprias formas, necesse est ut habeat penes se rationes omnium rerum.

[1] Traité de l'existence de Dieu, P. I, c. III. — [2] L. LXXXIII, Quaest. XLVI. — [3] Ad 4[m].

Qui enim excogitavit ordinem universi, est primum principium ad quod omnium effectuum determinatio reducitur: ordo enim universi in rerum distinctione consistit. — Rursus, quia huiusmodi rationes seu formae sunt ipsae ideae, quae, ut traditur in tractatu *de Pertinentibus ad divinam operationem* [1], sunt ipsa substantia primae causae, oportet ut identificentur cum eius essentia.

Atqui Deus, per suam sapientiam, excogitavit ordinem universi, determinans omnium formas, unde omnium rerum exemplaria apud se habere debet. Etenim, ideo necesse est, ad productionem alicuius rei, haberi exemplar, ut effectus determinatam formam consequatur: ideo quippe artifex determinatam formam in materia producit, quia habet penes se exemplar ad quod inspicit, sive illud exemplar sit extra, sive interius mente conceptum. Porro videmus omnes res naturaliter consequi determinatas formas; unde Deus, qui est causa talis determinationis, debet habere penes se rationes, seu ideas, aut exemplaria omnium rerum.

Quae tamen ideae seu exemplaria nequeunt esse aliud ab essentia divina; quia licet ideae divinae multiplicentur secundum respectum ad res, non sunt tamen realiter aliud a divina essentia, prout eius similitudo diversimode participari potest a diversis.

Pulcre Alighierius rem hanc versibus exornavit [2]

Nel suo profondo vidi che s'interna
Legato con amore in un volume
Ciò che per l'universo si squaderna.

8. — **Scholion.** — Hoc tamen non tollit quin, in rebus creatis, quaedam possint esse quorumdam aliorum exemplaria: quaedam enim sunt, in rebus creatis, ad quorum similitudinem specificam vel analogam aliqua sunt vel fiunt: sicut filius est ad similitudinem patris sui, et statua ad similitudinem hominis vel ideae artificis: quocirca, talia possunt dici horum exemplaria.

[1] Quaest. XV, art. 1, n. 5, p. 111. — [2] Parad., cant. XXXIII, vers. 85, seq.

9. — Corollarium. — Ex hoc quod Deus est causa exemplaris rerum, sequitur res pertingere ad eius similitudinem exemplatum enim gerit similitudinem exemplaris. At, creaturas pertingere ad divinam similitudinem potest intelligi dupliciter: uno modo, ut pertingant ad similitudinem cum Deo secundum eius naturam, similitudine scilicet speciei seu univocam, eo modo quo filius assimilatur generanti in natura; alio modo, ut pertingat ad similitudinem cum Deo secundum repraesentationem rationis intellectae a Deo seu analogicam, eo modo quo domus, quae est in materia, assimilatur domui, quae est in mente artificis. Porro, impossibile quidem est creaturas pertingere ad similitudinem cum Deo primo modo, sed tantum secundo: quae quidem similitudo sufficit ad hoc ut dicatur Deus causa exemplaris [1].

Cautum igitur quemlibet esse oportet, ne ultra debitos limites similitudinem hanc exaggeret, viam sternendo putido pantheismo, iuxta quem creaturae omnes essent aliquid Dei, scilicet secundum univocam participationem divinae naturae in semetipsa. Culpationem hanc non evitant philosophi indi vedantes, dum ponunt universum esse Deum ipsum specifice et numerice indeterminatum, scilicet Brama; qui etiam addunt nos Deum in universo visibili ideo percipere non posse, eo quod principio illusionis, quod Maya vocant, praepedimur, ad quod tollendum ordinantur, penes ipsos, certae praxes asceticae, quarum ultimus scopus est hominem ad beatum Nirvâna, idest absorptionem totalem in Deo, perducere: cum vero mens clare perceperit unicam realitatem quae est Brama, tunc ipsum illusionis principium evanescit [2]. — Veritatis catholicae tesseram exhibet auctor libri *de divinis Nominibus* [3]: *Eadem enim sunt similia Deo et dissimilia: similia quidem, secundum quod imitantur ipsum, prout contingit eum imitari, qui non perfecte imitabilis est; dissimilia vero secundum quod deficiunt a sua causa.*

10. — Sententia ponentium exemplaria rerum extra Deum existere. — Porro, celebris est, hac in re, Platonis sententia,

[1] Ad 1[m]. — [2] Cf. quae scripsimus in op. *L'opera dei sei giorni*, Vol. I, p. 9, n. 4. — [3] C. IX.

qui posuit omnium rerum species, seu ideas separatas, quarum participatione res et in suis speciebus quaeque constituerentur et intellectus noster easdem intelligeret [1]. Platonem secuti sunt Platonici, quorum tessera fuit, exemplaria esse res extra Deum existentes.

Qui ad hoc ponendum, duplici ratione inducti sunt: primo, ex ipsa natura rerum sensibilium; secundo, ex necessitate salvandi scientiam: quod est ex consideratione ordinis tum ontologici, tum logici.

Et quidem, quod ad primum attinet, observandum est, omne quod est in sensibilibus rebus, esse solum per participationem alicuius speciei: nam, in nullo sensibilium invenitur solum id quod ad rationem speciei pertinet, sed adiunguntur principiis speciei principia individuantia. Atqui oportet id quod habet esse per participationem reduci ad aliquid per se existens, ut ignitum ad ignem. Ergo, concludebant, oportet ponere ipsas species per se existentes extra Deum, ut per se hominem et per se equum, etc., ad quas singularia reducantur [2].

Idipsum ex consideratione ordinis logici patescit. Nimirum, cum scientiae et definitiones sint de speciebus, non secundum quod sunt in singularibus, de singularibus enim non habetur scientia nec definitio, sed secundum quod a singularibus abstrahuntur, hinc vel ponendae erunt tales species seu ideae exemplares a singularibus separatae; vel, si non ponantur, scientia erit de his quae non sunt [3].

11. — Solvuntur suprapositae rationes. — Ad rationes quas ex mente Platonicorum supra recensuimus, quibus scilicet ostendere nitebantur exemplaria rerum existere extra Deum [4], respondetur, primo, quod singularia sensibilia, licet

[1] Cf. Tr. n. de Deo Uno, Quaest. VI, art. 4, n. 2, p. 155. — [2] Ad 2[m]. — [3] Ad 3[m]. Quomodo catholica de ideis doctrina a materialistis contradicatur, videri potest penes Herbertum Spencer, in opere *Principes de Biologie*, Paris, 1880, t. II, p. 100 et alibi passim. Darwin quoque non potuit sustinere communitatem originis hominis et simiae, quin exemplarium divinorum existentiam iret infitias. *The Descent of Man*, c. I. — [4] Vide supra, n. 1, p. 18.

habeant esse per participationem speciei, non posse quidem reduci in suas species, quia de ratione illarum specierum est, quod sint in materia: non enim potest inveniri homo sine materia, et propterea nequeunt singularia sensibilia reduci in tales species: reducuntur tamen in aliquid superius quod eminentius illa continet, quales sunt substantiae separatae, quae etiam in Deum ipsum reducuntur [1].

Secundo, quod dicebatur de singularibus non posse haberi scientiam vel definitionem, nisi ponantur eorum species seu ideae separatae, nihil est: nam, scientiae et definitiones habentur de speciebus quae habent esse in singularibus, in quantum per opus intellectus abstrahuntur a conditionibus particularibus. Unde ad hoc ut de eis habeatur scientia, non est necesse ut existant separatae a singularibus, sed sufficit ut sic sint abstractae ab intellectu [2].

12. — Solvitur difficultas. — Sicut Deus est primum principium activum, ita materia prima est primum principium passivum. Aqui primum principium activum nullo modo est causatum. Ergo pariter primum principium passivum, seu materia prima.

Resp. Dist. mai.: sic ut primum principium passivum dependeat a primo principio activo. *conc.;* quasi utrumque principium sit independens, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Imprimis advertendum est quod ita actio et passio contra se invicem dividuntur, ut non eadem sit ratio de actione et passione. Nam passio est effectus actionis, est enim actus patientis ab agente, seu est fieri rei ab agente, sicut cum lignum comburitur ab igne, et ideo necesse est dicere, primum principium passivum esse effectum primi principii activi. Nam, oportet ut primum principium activum sit simpliciter perfectissimum; et cum principium passivum sit imperfectum, necesse est ut reducatur ad principium activum [3]. Quocirca absurdum est quod confingebant manichaei et adhuc confingunt multi ex paganis, esse scilicet duo summa principia independentia et sibi invicem contraria, a quibus cuncta bona cunctaque mala respective deri-

[1] Ad 2[m]. — [2] Ad 3[m]. — [3] Ad 2[m].

ventur, spiritus et materia, virtus et vitium, etc.: quam insaniam S. Augustinus ipse olim manichaeorum principiis imbutus, invicte refutat [1].

Articulus IV. — *Utrum Deus sit causa finalis omnium.*

1. — Ratio articuli. — Cum iam probatum sit Deum esse causam efficientem et exemplarem omnium rerum, materiam quoque primam esse ab ipso, non restat nisi ut investigetur utrum sit etiam causa finalis omnium: quo habito, comprobatum habebimus quod antea ex S. Paulo recitavimus, omnia scilicet esse *ex ipso, per ipsum et in ipso* [2], ita ut sit unum secundum rem omnium rerum principium. Hoc tamen non tollit quin, secundum nostrum modum concipiendi, unum consideremus ante aliud: sic ut prius et posterius sint non obiective, seu ex parte Dei, sed tantum secundum modum nostrum, cum aliqua nos prius, alia posterius intelligamus [3].

2. — PROP. I. — Ita Deus agit propter finem, ut solum intendat suam bonitatem communicare.

3. — Auctoritas. — Legimus in libro Proverbiorum [4]: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus*: quae quidem verba sibi volunt, Deum omnia operatum fusse ad hoc ut suam ipsius bonitatem, sapientiam, potentiam in creaturis, quas creavit, communicaret et palam ostenderet. — *Omnia*, ait S. Bernardus [5], *facit* (Deus) *propter semetipsum, gratuita videlicet bonitate: omnia propter electos suos, pro eorum scilicet utilitate.*

4. — Ratio theol. — Quod Deus agat propter finem, ex hoc evincitur, quod si secus esset, oporteret illum agere a casu, et sic non sequeretur magis hoc quam illud. — Quod

[1] Cf. L. I de Moribus Ecclesiae, C. X, n. 16, t. I, col. 693; de vera Religione, c. IX, n. 16, ibid., col. 753, etc. — [2] Art. 1, n. 3, p. 8. — [3] Ad 4[m]. — [4] XVI, 4. — [5] Serm. III de Pentec.

autem solum intendat communicare suam bonitatatem, ex hoc patet quod agentis imperfecti est simul agere et pati: nam, agendo, intendit aliquid acquirere; primum agens vero est agens tantum, nec agit propter acquisitionem alicuius boni, sed solum intendit suam communicare bonitatem.

5. — **Exponitur.** — Revera, agere propter finem dupliciter potest contingere: scilicet, vel propter finem acquirendum, vel propter finem communicandum. Exemplum prioris est mercator, qui negotiationem exercet, ut acquirat pecuniam, et studens qui studet ut adipiscatur scientiam; exemplum secundi est magister, qui docet ut scientiam communicet discipulis. Igitur, qui agit propter finem acquirendum, utique indiget fine; non ita vero qui agit propter finem communicandum. Hoc ultimo modo autem agit Deus, et propterea maxime liberalis dicitur, utpote qui per suam actionem nihil intendit acquirere, sed solum suam bonitatem communicare [1]. Quocirca pulcre S. Thomas [2]: *Aperta manu* (Dei) *clave amoris, creaturae prodierunt.*

6. — **Verba Dantis Alighierii.** — En quomodo profundam hanc veritatem exprimit Alighierius [3]:

Non per avere a sè di bene acquisto,
Ch'esser non può, ma perchè suo splendore
Potesse, risplendendo, dir: Sussisto,
In sua eternità di tempo fuore,
Fuor d'ogni altro comprender, com'i piacque,
S'aperse in nuovi amor l'eterno Amore.
Nè prima quasi torpente si giacque,
Che nè prima nè poscia procedette
Lo discorrer di Dio sovra quest'acque.

7. — PROP. II. — **Divina bonitas est finis omnium rerum.**

8. — **Prob.** — Cum idem, generaliter loquendo, sit finis quem agens intendit communicare, et quem patiens intendit

[1] Ad 2m. — [2] Comment. in II Libr. Sent., Prolog. — [3] Parad., Cant. XXIX, v. 13, seq.

recipere, oportet ut id quod primum agens intendit communicare, sit simul finis suae actionis, et finis omnium rerum. Atqui Deus, ut est primum agens, intendit communicare, modo finito, suam bonitatem creaturis, et eamdem omnes creaturae suo modo recipere intendunt, scilicet prout unicuique possibile est. Ergo divina bonitas est simul finis quem Deus intendit communicare, et quem creaturae intendunt consequi.

9. — **Quomodo bonitas creaturarum dici potest finis operationis divinae.** — Porro, ne quis in errorem inducatur, reputans ipsam bonitatem creaturarum, qualis est formaliter in creaturis, esse finem operationis divinae, quo casu haec esset imperfectior bonitate creaturarum, cum finis perfectior sit iis quae sunt ad finem, sedulo advertendum est, in tantum dici bonitatem communicatam creaturis esse finem divinae operationis, in quantum huiusmodi bonitas est similitudo divinae bonitatis et sic quodammodo est unum cum illa, licet unaquaeque res suam propriam bonitatem habeat. Sic, licet forma ignis geniti sit alia res a forma ignis generantis, tamen, ut est ei similis, reputatur unum cum ipsa. Quocirca dicendum est bonitatem creaturarum esse finem Dei operantis, non in quantum est haec vel illa bonitas, sed in quantum repraesentat formaliter divinam bonitatem. Pariter, bonitas creaturarum, ut est formaliter creaturarum, non incidit in idem cum divina bonitate; incidit tamen prout est similitudo divinae bonitatis [1].

10. — **Scholion.** — Quae cum ita sint, si velimus oculos in universum et eius partes coniicere, inveniemus, primo, singulas creaturas ordinari, scilicet intrinsece, ad proprium actum et ad propriam perfectionem: plantas ad hoc ut crescant et fructum ferant; aves ad cantandum et volitandum per aerem; pisces ad natandum; hominem ad ratiocinandum. Ulterius, extrinseca ordinatione, viliores creaturae ad nobiliores ordinantur: plantae ad praebendum cibum animalibus; animalia minora ad maiorum utilitatem; plantae et ani-

[1] Ad 2m.

malia, et omnia quae in hoc mundo visibili cernuntur, ad hominis commodum. Praeterea, singulae creaturae ordinantur ad perfectionem totius universi, sicut singula membra hominis ad totius corporis perfectionem; tandem, totum universum, cum singulis suis partibus ordinatur ad Deum, tanquam ad ultimum finem extrinsecum. Quocirca Deus, in universi productione, non potuit finem habere, aliquam sibi utilitatem procurare, cum sit infinitus omnino; unde aliud non intendit, nisi bonitatem suam modo finito extra se communicare, quatenus creaturae, quadantenus imitantes divinam bonitatem, in eius gloriam redundarent.

II. — Solvitur difficultas. — Finem omnia appetunt. Atqui non omnia appetunt Deum. Ergo Deus non est finis omnium.

Resp. *Dist.mai.:* appetitu cognoscitivo, vel naturali, *conc.;* semper appetitu cognoscitivo, *nego. Dist. min.:* appetitu cognoscitivo, *conc.;* appetitu saltem naturali, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Duplex distinguitur appetitus: cognoscitivus, qui potest esse sive intellectivus, sive sensitivus, et naturalis, qui est cuiuscumque rei ad propriam formam et ad proprium bonum inclinatio. Porro omnia suo modo appetunt Deum: nimirum, creatura intellectualis quae attingit Deum sua intellectuali et volitiva operatione, illum appetit saltem sub ratione summi Boni; creatura vero sensitiva illum appetit appetendo bona sensibilia; demum res cognitione carentes feruntur naturali et caeca inclinatione in ipsum. Cum enim nihil habeat rationem boni et appetibilis, nisi in quantum participat Dei similiudinem, hinc necesse est ut omnia appetant Deum ut finem [1].

12. — Refellitur Origenis positio. — Quae cum ita sint, iam patet quam longe a vero sit Origenis sententia, dum posuit [2] creaturam corporalem non esse factam ex prima Dei intentione, sed ad poenam spiritualis creaturae peccantis, quasi Deus, in principio, solas creaturas spirituales fecerit, omnesque aequales; quae, postea, secundum facultatem

[1] Ad 3[m]. — [2] L. II περὶ ἀρχῶν. cc. 1 et 9.

liberi arbitrii, ad Deum plus minusve conversae vel ab eo aversae, remanserunt — illae quidem in maiori minorive gradu suae simplicitatis, hae vero corporibus plus minusve perfectis alligatae: unde corpora non propter Deum fuissent condita, sed in poenam peccati. — Quam quidem positionem, ut advertit Angelicus, sustineri non posse, patet ex hoc quod sic mundi corporalis forma, quae nunc est, non esset a proposito, sed a casu. Si enim corpus solis tale factum est, ob aliquod peccatum spiritualis creaturae puniendum, dato quod plures creaturae spirituales similiter peccassent, sequeretur plures esse soles in mundo, quod est inconveniens. Unde dicendum, vel ipsam corporalem creaturam factam fuisse propter Dei bonitatem, quam suo modo repraesentat [1].

[1] 1, Quaest. LXV, art. 2.

QUAESTIO SECUNDA.

(XLV).

DE MODO EMANATIONIS RERUM A PRIMO PRINCIPIO.

PROLOGUS.

1. — **Ratio quaestionis.** — Expenso iam facto emanationis omnium rerum per creationem, a primo principio, quod Deus est, causa efficiens, exemplaris et finalis totius universi, non esset cur in ipsum reverti deberemus, nisi id conceptus ipse creatonis, qui valde subtilis est et longe ab hominum sensibus remotus, profundiorem de hac re tractationem suaderet. Qui conceptus, ut perpoliatur, examini undequaque debebit subiici, ut clare appareat, in catholica de creatione notione, nil prorsus contineri, quod rectae rationi repugnet.

2. — **Ordo quaestionis.** — Ubi, primo loco, repetenda erit generalis creationis notio, quae est ut ex nihilo aliquid fiat (1), tum specialiter notio ista erit examini subiicienda ex parte causarum formalis, materialis et efficientis (2-7). Et quidem, causa formalis erit inspicienda, tum ex parte Dei (2), tum ex parte ipsius creaturae (3); causa materialis, ex parte rerum quibus competit sic produci (4); causa vero efficiens, tum ex parte rerum subsistentium (5-7), tum ex parte formarum naturae et artis non subsistentium (8). Consideratio demum causae efficientis rerum subsistentium fieri debebit, attenta Dei natura, tum communiter accepta (5), tum prout participatur a personis divinis (6-7), quas iterum considerare debebimus prouti una ab altera distinguitur (6), et prouti sui vestigium in creaturis unaquaeque relinquit (7).



Quocirca octo quaeruntur in hac quaestione.

Primo. Quid sit creatio.

Secundo. Utrum Deus possit aliquid creare.

Tertio. Utrum creatio sit aliquod ens in rerum natura.

Quarto. Cui competit creari.

Quinto. Utrum solius Dei sit creare.

Sexto. Utrum commune sit toti Trinitati, aut proprium alicuius personae.

Septimo. Utrum vestigium aliquod Trinitatis sit in rebus creatis.

Octavo. Utrum opus creationis admisceatur in operibus naturae et voluntatis.

Articulus I. — *Utrum creare sit ex nihilo aliquid facere.*

I. — Creatio large et stricte accepta. — Creationis nomen aliquando sumitur large, ut cum quis dicitur creari in episcopum, aut cum creari dicuntur ea quae in melius re-

formantur, quo sensu dicebat S. Augustinus [1]: *Facere est, quod omnino non erat; creare vero est ex eo quod iam erat, educendo aliquid constituere* [2]. Rursus, nomen hoc, *creatio*, interdum accipitur, maxime penes poetas et artifices, pro productione operum aestimatione dignarum, quae quidem non sunt ex nihilo eductae, cum, in ordine ideali, educantur de potentia intellectus aut imaginationis; in ordine vero reali, a potentia materiae.

Attamen, verbum *creare* hic sumitur stricte, pro eo quod est aliquid ex nihilo facere, quo modo a tota traditione accipitur, quoties de prima rerum productione agitur [3].

2. — PROP. — **Creatio, quae est emanatio totius esse, est ex non ente, quod est nihil.**

3. — **Sacra Scriptura.** — Solemne, hac in re, est quod initio Sacrae Scripturae positum legitur [4]: *In principio creavit Deus caelum et terram.* — Ubi statim notandum, hebraicum verbum בָּרָא, pro quo Septuaginta habent ἐποίησεν, non semper in Scriptura significare *educere ex nihilo*, ut patet in hoc quod legitur [5]: *Creavitque cete grandia*, ubi formatio ex praecedenti materia significatur: at, in praesenti casu, alio sensu accipi non potest, nisi pro eductione rei ex nihilo, cum ante primum et universale principium nihil prorsus existeret.

4. — **Prob.** — Ad hoc intelligendum, primo, attendenda est differentia quae est inter productionem particularem alicuius entis et productionem entis, in quantum est ens: nimirum, priori productioni aliquid praesupponitur, posteriori vero nihil praesupponitur. Porro, id quod producitur per actionem aliquam particularem non praesupponitur ipsi actioni particulari, sicut homo fit ex non homine, et album ex non albo. Ergo id quod producitur per emanationem universalem, scilicet totum ens, non praesupponitur ipsi uni-

[1] L. I. contra advers. Legis et Prophet., c. 23. — [2] Ad 1[m]. — [3] Cf. Symb. Nic. - Const.; Glossa ordin. ex Beda, in h. l. — [4] Gen., I, 1. — [5] Ibid., 21.

versali factioni; et sic emanatio totius entis, quae fit a causa universali, est ex nihilo, quod est nullum ens, et hanc designamus nomine creationis, quam proinde definire possumus, *eductionem totius entis ex nihilo.*

5. — Difficultas. — Actio nobilissima, qualis supponitur creatio, debet habere nobilissimum terminum. Atqui actio qua ex nihilo aliquid fit, non habet nobilissimum terminum: nam eius terminus a quo est non ens. Ergo creatio non datur.

Resp. *Dist. mai.:* debet habere nobilissimum terminum *ad quem, conc;* a quo, *nego. Dist. min.:* actio qua ex nihilo aliquid fit, non habet nobilissimum terminum *a quo, conc.;* ad quem, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Cum mutationes accipiant speciem et dignitatem, non a termino *a quo*, sed a termino *ad quem*. hinc tanto erit aliqua mutatio perfectior, quanto terminus *ad quem* illius mutationis erit nobilior et prior, licet terminus *a quo* sit imperfectior. Sic generatio simpliciter est nobilior et prior quam alteratio, propter hoc quod forma substantialis est nobilior quam forma accidentalis, licet privatio substantialis formae, quae est terminus *a quo* in generatione, imperfectior sit quam privatio formae accidentalis quae est terminus *a quo* in alteratione. Quae cum ita sint, dicendum est creationem esse perfectiorem et priorem quam generationem et alterationem, quia, licet id quod intelligitur ut terminus *a quo* sit simpliciter non ens, tamen terminus *ad quem* est tota substantia rei [1].

6. — Sensus particulae, ex, in hac propositione: Ex non ente fit ens. — Advertendum autem est, in hac propositione, *ex non ente fit ens*, particulam *ex* non denotare habitudinem causae materialis, sicut quando dicitur, *ex ferro fit cultellus*, aut *ex ligno fit scamnum;* sed particula haec denotat tantummodo ordinem, ut quando dicitur, *ex mane fit meridies*, aut *ex die fit nox:* non enim mane est materia diei, aut dies materia noctis, sed post mane fit meridies, et post diem, nox. Igitur, quando dicitur, *ex non ente fit ens*, ordo tantummodo designatur, ut sensus sit, res, post non esse ipsarum, produci in esse [2].

[1] Ad 2m. — [2] Ad 3m.

7. — Scholion. — Potest tamen, in praefata propositione, particula *ex* designare non solum ordinem, sed etiam causam materialem quae negatur, sicut cum dico: *iste loquitur de nihilo*, id est, non loquitur de aliquo: et hoc est, si particula *ex* intelligatur clausa in *non ente*, quo casu id quod dicitur, *ens fit ex non ente*, sensum habet, non fit ex aliquo ente: quod autem dictum est, particulam hanc denotare ordinem eius quod est ad non esse praecedens, intelligendum est si, viceversa, ipsamet intelligatur includere *non ens* [1].

Articulus II. — *Utrum Deus possit aliquid creare.*

1. — Ratio articuli. — Tradito iam generico conceptu creationis, qui est ut creatio sit eductio totius entis ex nihilo, convenit modo ut specialiorem huius conceptus rationem investigemus, quod quidem fieri nequit, nisi proprius et singularis creationis auctor cognoscatur. Quocirca, dubium hic propositum de possibilitate creationis, ex parte Dei, resolvi debebit in absolutam necessitatem, ex parte rerum, ut sic a Deo producantur: unde concludendum erit, in creationis ratione, Dei conceptum formaliter claudi oportere.

2. — Monitum. — Ubi statim monemus, valedicendum hic esse imaginationi, et unice considerationi rationis insistendum. Nam si quis imaginationi indulgeat, quae creationem fingit, quasi sit mutatio quaedam inter duos terminos existens, certe hoc problema solvere nequibit, cum inter ens et nihil videatur infinita distantia esse, quae pertransiri non possit, cum infinita non sit pertransire. At vero talis infinita distantia est tantum in imaginatione: nam realiter nulla est distantia inter ens et non ens, cum non sit ibi nisi relatio rationis [2].

3. — PROP. I. — Non solum non est impossibile aliquid a Deo creari, sed etiam necesse est ponere omnia a Deo creata esse.

[1] Ibid. — [2] Ad 1[m].

4. — Sacra Scriptura. — Imprimis, in Geneseos initio legimus [1]: *In principio creavit Deus caelum et terram.* Circa quem locum, primo advertimus, illum non necessario haberi, ut voluit Petavius [2], tanquam generale quoddam effatum, omnia summatim complectens quae a Deo sunt facta, et minime repraesentare peculiare opus quod ante sex distinctionis dies Deus compleverit: potest quippe postremus hic sensus, tum ex Vulgata, tum ex originali hebraico aeque, imo melius sustineri ac prior. Porro, quod per verba *caelum et terram*, intelligi debeant tum firmamentum visibile, informi licet adhuc statu existens, tum terram quam habitamus, sat aperte eruitur ex sequentibus verbis post descriptionem operis ornatus recitatis, scilicet [3]: *Igitur perfecti sunt caeli et terra et omnis ornatus eorum;* ibi nimirum de caelo et terra agebatur, quae postea exhibentur congrue distincta et exornata. Nec tacendum, Scripturae usu haberi ut per haec verba universitas mundi visibilis designetur [4].

Igitur, cum Moysi mens esset primam mundi huius adspectabilis originem ostendere, dicendum, verbo *creavit*, בָּרָא quod in coniugatione Kal valet *producit* aut *finxit*, sensum hic omnino esse, *e nihilo eduxit*, ut etiam patet ex eo quod perfectionis opus mox post informem caeli et terrae statum describit.

5. — Confirmatur. — Porro, quod Deus sit supremus totius universi opifex, saepe repetitur in Sacro Textu. Sic

[1] I, 1. — [2] De Opificio sex dierum, l. I, c. 2, n. 10. — [3] Gen., II, 1. — [4] Cf. Ex., XX, 11; Ps. CLXV, 6; Act., XIV. 14; XVII, 24. Notari hic possunt verba Antonii Stoppani: *Il massimo errore.... sorgente di tutti gli errori esegetici.... è questo d'aver voluto, per tener bordone alla scienza, troppo facilmente dire addio al senso storico o letterale del Sacro Testo, il quale, ad onta di tutte le allegorie possibili, dev'essere e rimanere quello che è, anche a costo (per ignoranza nostra, s'intende) di comparire mendace... Se leggiamo certi modernissimi* EXEMERON, *si comincia a fissare che il cielo non è il cielo; la terra non è la terra: la luce del Sole non è la luce del sole; il giorno non è il giorno; la notte, non è la notte. Se poi si domanda: che cosa adunque si deve intendere? si sente a dire che il cielo non è il cielo, ma un qualche cosa come il cielo: la terra non è la terra, ma qualche cosa come la terra, ecc.* Sulla Cosmogonia mosaica, pp. 41, 42. Milano, 1892.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Melchisedech, rex Salem, benedicens Abraham, ei dixit [1]; *Benedictus Abram Deo excelso, qui creavit caelum et terram;* sic etiam in libro Sapientiae legitur [2]: *Domine misericordiae, qui fecisti omnia verbo tuo;* pariter [3]: *Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? Aut quod a te vocatum non esset, permaneret?* Apud Isaiam quoque [4]: *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens caelum solus, stabiliens terram et nullus mecum.* Similiter, in libro Esther introducitur Mardochaeus aiens [5]: *Domine, Domine rex omnipotens..., tu fecisti caelum et terram, et quidquid caeli ambitu continetur. Dominus es omnium, nec est qui resistat maiestati tuae.* Sensum etiam traditionalem Hebraeorum exprimebat Nehemias [6]: *Domine Deus, omnium creator, terribilis et fortis, iustus et misericors:* et mirabilis Machabaeorum mater dicebat [7]: *Peto, nate, ut aspicias ad caelum et terram, et ad omnia quae in eis sunt: et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus.* Signanter vero notanda sunt verba S. Pauli [8]: *Fide intelligimus aptata esse saecula verbo Dei:* et S. Ioannes, in Apocalypsi, dicitur audivisse viginti quatuor seniores cantantes [9]: *Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem: quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt.*

6. — Solvitur tacita difficultas. — Nec obstat quod legitur in libro Sapientiae legitur [10]: *Omnipotens manus tua* (Dei), *quae creavit orbem terrarum ex materia invisa;* nam ibi est sermo de formatione et arnatumundi, quae in opere sex dierum singillatim describuntur et rite dicuntur ex materia invisa processisse. Erat quippe sacri scriptoris intentio vindicare Deo potentiam immittendi feras, quas ipse fecerat, in vindictam criminis apostasiae hominum a cultu veri Dei; unde primam animantium formationem, quam lato utique sensu creationem, appellat, apte heic recolit.

7. — Ecclesiae definitiones. — Porro, veritatem hauc, quam in Symbolo Apostolico Ecclesia, cuius custodiae com-

[1] Gen., XIV, 19. — [2] IX, 1. — [3] XI, 26. — [4] XLIV, 24. — [5] XIII, 9, 10. — [6] 2 Mach., I, 24. — [7] Ibid., VII, 28. — [8] Hebr., XI, 3. — [9] IV, 11. — [10] XI, 18.

missum est depositum fidei, profitetur, ipsamet solemniter definivit in quarto Concilio Lateranensi, anno 1215, sub Innocentio III, celebrato [1]: (Deus est) *unum universorum principium, creator omnium, visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam.* Similis est definitio Concilii Vaticani [2]: *Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute, non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona quae creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam.*

Quae cum ita sint, patet rite condemnatam fuisse sequentem Rosminii propositionem [3]: *Id unum efficit Deus creando, quod totum esse creaturarum integre ponit: hic igitur actus proprie non est factus, sed positus.*

8. — Patres. — Quod autem haec fuerit usque ab initio constans Ecclesiae doctrina, testatur S. Irenaeus qui, agens contra Gnosticos, cum Valentino pantheismum quemdam instaurantes, in quo per quasdam *emanationes*, αἰῶνας, a primo principio, βύθῳ, *profundo*, omnia gradatim processissent, ait [4]: *Cum teneamus nos regulam veritatis, id est, quia sit unus Deus omnipotens, qui omnia condidit per Verbum suum, et aptavit, et fecit ex eo quod non erat, ad hoc ut sint omnia, quemadmodum Scriptura dicit* [5]: VERBO ENIM DOMINI CAELI FIRMATI SUNT...: *et iterum* [6]: OMNIA PER IPSUM FACTA SUNT, ET SINE IPSO FACTUM EST NIHIL: *ex omnibus autem nihil subtractum est; sed omnia per ipsum fecit Pater, sive visibilia, sive invisibilia, sive sensibilia, sive intelligibilia, sive temporalia, propter quamdam dispositionem, sive sempiterna et aeonia, non per angelos, neque per virtutes aliquas abscissas ab eius sub-*

[1] Cap. *Firmiter*. — [2] In Constitut. de fide Cath. C. I. de Deo rerum omnium creatore. — [3] Est XVII[a] inter condemnatas a S. Officio, 7 Mart., 1888. — [4] l. 1 adv. haeres., c. 22, 1. — [5] Ps. XXXII, 6. — [6] Io., I, 3.

stantia: nihil enim indiget omnium Deus; sed et per Verbum et Spiritum suum omnia faciens, et disponens, et gubernans, et omnibus esse praestans.

Similiter Tertullianus [1] ait regulam fidei illam esse, qua *creditur unum omnino Deum esse, nec alium praeter mundi Conditorem, qui universa de nihilo produxerit per Verbum suum primo omnium emissum.* S. quoque Athanasius, comprobata primum ex Scripturae testimoniis divinitate Filii, ait [2]: *Cum enim Deus ipse sit, nec factus esse potest, nec fas est eum creatum dicere. Siquidem rerum creatarum et factarum proprium est dicere* EX NIHILO ESSE, *nec fuisse antequam gignerentur.* Et rursus [3]: *Quomodo vero Verbum et Sapientia possit esse, si eius naturae non sit fetus proprius, sed ex nihilo quoque factus ipse sit? Deinde qui fit ut, cum omnia ex nihilo producta sint et creata, Filiusque, ut volunt, una sit e rebus creatis et quae aliquando non fuerunt, solus tamen iste Patrem revelet, nullusque alius praeter illum Patrem cognoscat?* Quocirca, Nicaeni Patres, definierunt Filium esse genitum, non factum, et anathemate damnant dicentes [4]: *Erat, quando non erat, et antequam nasceretur non erat, et de non extantibus factus est.*

Similiter S. Augustinus [5]: *Conati sunt enim quidam persuadere Deum Patrem non esse omnipotentem: non quia hoc dicere ausi sunt, sed in suis traditionibus hoc sentire et credere convincuntur. Cum enim dicunt esse naturam quam Deus omnipotens non creaverit, de qua tamen istum mundum fabricaverit, quem pulcre ordinatum esse concedunt; ita omnipotentem Deum negant, ut non eum credant mundum potuisse facere, nisi ad eum fabricandum alia natura, quae iam fuerat, quam ipse non fecerat, uteretur: carnali scilicet consuetudine videndi fabros et domorum structores et quoslibet opifices qui, nisi adiuventur parata materia, ad effectum suae artis pervenire non possunt. Ita etiam intelligunt fabricatorem mundi non esse omnipotentem, si mundum fabricare non posset, nisi eum aliqua non ab illo fabricata natura, tamquam materies, adiu-*

[1] L. de Praescript., c. XIII. — [2] Or. II, n. 1. — [3] N. 22. — [4] ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν, καὶ πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν, καὶ ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο. — [5] De fide et Symb., c. 2, t. VI, col. 151, 152.

varet. Aut si omnipotentem Deum fabricatorem mundi esse concedunt, fateantur necesse est ex nihilo eum fecisse quae fecit. Non enim aliquid esse potest, cuius creator non esset, cum esset omnipotens. Qui etiam scribit [1]: *Deus rectissime creditur omnia de nihilo fecisse, quia etiamsi omnia formata de ista materia facta sunt, haec ipsa materia tamen de omnino nihilo facta est.*

Denique tacendus non est S. Ioannes Chrysostomus [2]: *Ille Moyses omnes haereses, quae sicut zizania pullulaturae erant in Ecclesia, eradicat per hoc quod dicit:* IN PRINCIPIO CREAVIT DEUS CAELUM ET TERRAM. *Unde si Manichaeus ad te accesserit, dicens materiam praeextitisse, si Marcion, si Valentinus, si gentiles, dic illis:* IN PRINCIPIO CREAVIT DEUS CAELUM ET TERRAM.

9. — Ratio theol. — Ad hanc autem veritatem intelligendam, primo loco attendenda est differentia quae est inter agentem, qui agit aliquo praesupposito, sicut artifex, qui agit praesupponendo suae actioni res naturales, puta aes vel lignum, et agentem qui agit nullo praesupposito. Agens qui agit aliquo praesupposito, non potest creare, nec omnia producere. Creare non potest, quia creatio est actio qua res producuntur ex nihilo; non potest omnia producere, quia ad minus non potest producere illud quod praesupponitur eius actioni. Atqui Deus est agens qui agit nullo praesupposito. Si enim Deus non ageret, nisi ex aliquo praesupposito, sequeretur quod illud praesuppositum non esset causatum ab eo, sicut aes, lignum et similia, quibus utitur artifex, non sunt facta ab eo. Atqui Deus est causa universalis totius esse, ita ut nihil possit esse in entibus quin, sit causatum ab eo. Ergo necesse est a Deo omnia esse causata.

10. — Confirmatur. — Cum Moyses sciscitaretur quod nomen Dei esset [3], Deus ipse respondit [4]: *Ego sum qui sum... Qui est misit me ad vos:* quibus verbis nomen sibi proprium

[1] De Genesi contra Manich., l. I, c. 6, n. 10, t. II, col. 649. Specialiter notanda sunt haec verba S. Doctoris Hipponensis, ob auctoritatem quam sibi acquisivit propter speciales ab ipso factas investigationes circa originem mundi, qua quidem auctoritate moderni nonnulli in veritatis perniciem conati sunt abuti. — [2] Homil. II, n. 3. — [3] Ex., III, 13. — [4] 14.

revelavit. Atqui, ut nomen esset ei proprium, non debuit meram existentiam significare, quae omnibus rebus communis est. Ergo significare voluit plenitudinem τοῦ esse, seu esse subsistens, a quo proinde omnia quae sunt, suum esse repetunt, quod est omnia ab eo e nihilo educi, seu creari.

11. — **Solvitur tacita obiectio.** — Ubi statim menti occurrit dubitatio, ex eo orta quod, ut solet dici, ex nihilo nihil fit. — At facile respondetur nihil utique fieri ex nihilo tanquam causa efficiente, cum, si absit talis causa, effectus non detur; at potest utique, ex nihilo causae materialis aliquid fieri, per operam agentis primi, cui totum ens subiicitur. Utique, si quis non consideret nisi emanationem effectuum particularium a causis particularibus, necesse reputabit aliquid praesupponi illarum actioni; non ita vero, si consideret primam emanationem rerum ab universali principio [1].

12 — PROP. II. — α) **Creatio non est mutatio**; β) **attamen potest dici mutatio secundum modum intelligendi.**

13. — **Declaratur 1ª Pars.** — Quod creatio non sit mutatio, ex hoc patet, quod de ratione mutationis est, quod aliquid idem se habeat aliter nunc et prius, et hoc quandoque est idem ens in actu, sicut patet in motibus secundum qualitatem et quantitatem, sicut idem paries est, qui transit de albo in nigrum, et idem homo, qui ex parvo fit magnus; quandoque vero est idem ens in potentia tantum; sicut in mutatione secundum substantiam, cuius subiectum est materia. Atqui, in creatione, per quam producitur tota substantia rei, non potest accipi aliquid aliter se habens nunc et prius, nisi secundum intellectum tantum: sicut si intelligatur aliqua res prius totaliter non fuisse, et postea esse: unde creatio non est proprie mutatio.

14. — **Declaratur 2ª Pars.** — Actio et passio sunt unus motus, et quoad hoc non differunt inter se, distinguuntur tamen secundum diversas habitudines. Nam, secundum quod ille motus exit ab agente, dicitur actio; secundum vero quod

[1] Ad 1m.

recipitur in passum, dicitur passio, et cum creatio sit actio sine motu, sequitur quod non sit nisi habitudo creantis ad creatum, et e converso. Attamen cum significetur per modum mutationis, intelligitur secundum modum quo intelliguntur mutationes; et propterea dicimus quod creatio est mutatio, et quod creari est mutari; et iterum quod creare est facere, et creari est fieri. At ista vera sunt tantummodo secundum modum significandi et intelligendi, cum intellectus noster non valeat intelligere superiora, nisi secundum modum inferiorum. — Cum hoc tamen stat quod haec nomina, *facere* et *fieri* sunt minus disconvenientia creationi quam *mutare* et *mutari*. Quia licet tam facere et fieri, quam mutare et mutari proprie importent illa duo, scilicet motum et habitudinem, tamen facere et fieri important primo habitudinem, et secundario motum: mutare vero et mutari, primo important motum, et habitudinem ex consequenti [1].

15. — Creatio est relatio realis in creatura, rationis in Deo. — Ex hoc quod creatio non est mutatio seu motus, sequitur eam esse relationem Creatoris ad creatum et viceversa. Cum enim unus idemque motus fundet actionem et passionem, in quantum scilicet actio et passio conveniunt in una essentia motus, oportet ut, sublato motu, aliud non remaneat, nisi habitudo, seu relatio Creatoris ad creaturam. Hinc, passive accepta, creatio est in creatura forma accidentalis, id est relatio realis, qua refertur ad Creatorem, sicut ad principium sui esse: et quia omnis relatio suum correlativum requirit, hinc, active sumpta, creatio est relatio in Deo, non realis, sed rationis, quae quidem aliud non est nisi actio divina, quae est ipsa divina essentia cum relatione, utique rationis ad creaturam, quemadmodum in scientia quidem et sensu est relatio realis, secundum quod ordinantur ad sciendum vel sentiendum res; sed in rebus ipsis, in se consideratis, non est aliqua relatio realiter ad scientiam et sensum, sed secundum rationem tantum [2].

16. — Creatio non est successiva, sed instantanea. — Ulterius advertatur quod, quia creatio est sine motu, pro-

[1] Ad 2[m]. — [2] 1, Quaest. XIII, art. 7.

pterea non est successiva, sed instantanea. Enimvero, ea quae fiunt, sunt in duplici differentia. Quaedam enim fiunt cum motu, sicut cum ex cibo fit caro ; quaedam vero fiunt sine motu. Et quidem, in priori casu, non est simul fieri et factum esse, sicut non est simul fieri carnem et factum esse carnem. In secundo casu vero, simul est fieri et factum esse, sive talis factio sit terminus motus, sicut illuminatio, nam simul aliquid illuminatur et illuminatum est ; sive non sit terminus motus, sicut simul formatur verbum in corde et formatum est. Et in his, quod fit, est ; sed cum dicitur fieri, significatur ab alio esse, et prius non fuisse; unde, cum creatio sit sine motu, simul aliquid creatur et creatum est [1].

17. — Hodiernorum materialistarum contra creationem obiectiones. — Hic autem pretium operae erit potissimas recensere hodiernorum materialistarum contra creationis conceptum obiectiones, quas eorum coryphaeus, Herbertus Spencer in suo opere, *Principes de Biologie* [2] aggerit. Huic pseudo-philosopho plene consentiunt Darwin, Tyndall, Huxley, etc.

Dicunt primo, neminem unquam testem fuisse creationis vel minimae particulae materiae, et miraculosas novarum specierum formationes in regionibus ab omni observatore remotis accidisse. Deinde, creationem aiunt ad illas illegitimas symbolicas conceptiones pertinere, quibus nihil a parte rei respondet : importat enim relationem inter nihil et aliquid, quod est absurdum. Addunt, tertio, si supponantur atomi praeexistentes materiam praebuisse novis illis speciebus, iam explicandum restat quomodo undequaque casu irruerint, ad determinatas formas componendas. Denique, quid absurdius, quam ut fingatur Deus propriis manibus limum assumpsisse ad efformandum primum hominem ?

18. — Generalis observatio. — Antequam ad singulas hic positas obiectiones respondeamus, tria animadvertere iuverit. — Primo, morem esse adversariorum catholicae doctrinae, eam turpiter deformare, nobis absurda imponentes,

[1] Ad 3[m]. — [2] T. I, 3[me] Partie, c. II, § 112. Paris, 1880, pp. 406, seq.

quo doctrinam hanc facilius expugnent: quod signanter in praesenti casu evenit, ut mox ostendemus. — Secundo, vanis ludunt materialistae imaginibus, dum supremum veritatis criterium imaginationem assignant, atque sententiam ferunt, id solum a nobis admitti debere, quod sic concipere possumus: quo fit ut imaginatio, quae cum sit facultas sensitiva, materiam non transcendit, supremum pro ipsis evadat veritatis criterium: qui error a S. Thoma hic signanter indigitatur [1]. — Tertio, magnam inducunt materialistae confusionem inter creationem et formationem rerum ex praeiacenti materia, puta corporis humani ex limo terrae, quae tamen duo sedulo distinguenda sunt.

19. — Respondetur praefatis difficultatibus. — Imprimis, falso nobis imponit Spencer creationem nos tanquam miraculum habere, cum revera miraculum non sit, ut mox dicemus. — Deinde, quod nemo creationem unquam viderit, sat rationabile est: nam si agatur de prima creatione materiae totius universi, nimis evidens est a nullo hominum eam videri potuisse; idipsum patet, si agatur de creatione alicuius entis particularis: cum enim axioma sit theologicum, materiam amplius non creari, sed tantummodo transmutari aut transformari, et solum animas humanas, quas profecto invisibiles dixerimus, de nihilo nunc produci, evidens est neminem potuisse testem esse creationis rerum. Sed, etsi aliquis homo, antea ex nihilo creatus, mundi creationi praesens fuisset, quomodo oculorum testimonio certior reddi posset, seipsum quoque per creationem habuisse originem?

Nec minus inconsulto loquitur Spencer, dum fingit creationem esse relationem inter rem et nihil, cum, ut diximus, creatio sit, hinc quidem relatio realis in rebus ad Deum, illinc vero relatio rationis Dei ad res.

Denique, quod comminiscitur materialista philosophus de atomis undequaque profectis ad res spectabiles seu novas species constituendas, aut Deum manibus suis limum effinxisse, ad corpus hominis efformandum, totum est partus illius insanae mentis: atomorum enim systema, maxime atomorum

[1] Ad 4[m].

rationabilium ut istae essent, extra sanae philosophiae septa vagatur; quod autem dicitur Deum formasse hominem de limo terrae, metaphorice profecto, quantum ad manus eius attinet, est accipiendum, prout vel ipsi parvuli catechismum addiscentes probe norunt.

20. — Quaestio I. — *Utrum creatio sit dicenda miraculum?*

Resp. Negative. Enimvero, non qualiscumque interventus Dei in natura creata est miraculum, sed talis qui locum habet contra, vel praeter, aut supra leges physicas mundi. Porro, non derogatur legibus physicis mundi in hoc quod opus aliquod compleatur immediate a Deo, dato quod opus istud nequeat, pro agente proprio et proportionato, habere nisi Deum. Atqui non potuit alio modo mundus originem ducere, quam per agens quod producit totum esse rerum; quocirca creatio non est contra, vel praeter, aut supra leges naturae, sed est cursus necessarius rerum.

Quae cum ita sint, si quando sancti Doctores dicant, in prima rerum institutione, non esse nobis inquirendum de miraculo, sed de legibus naturae [1], non intendunt excludere immediatum interventum Dei in productione et distinctione entium: sed mens eorum est, debere nos potius attendere ad operationes et effectus naturales rerum huius mundi, quam ad derogationes miraculosas omnipotentiae Dei. Hoc scilicet sensu intelligendum est quod scribit S. Augustinus [2]: *Nunc enim quemadmodum Deus instituerit naturas rerum, secundum Scripturas eius nos convenit quaerere, non quid in eis vel ex eis ad miraculum potentiae suae velit operari. Neque enim si vellet Deus sub aqua oleum aliquando manere, non fieret: non ex eo tamen olei natura nobis esset incognita, quod ita facta sit, ut appetendo suum locum, etiam si subterfusa fuerit, perrumpat aquas, eisque se superpositam collocet.*

21. — Quaestio II. — *Utrum doctrina de creatione sit de fide tenenda?*

[1] Sic loquitur Angelicus: *In prima rerum institutione non quaeritur miraculum, sed quid natura rerum habeat, ut Augustinus dicit.* scilicet in loco quem subnectimus. 1, Quaest. LXVII, art. 4, ad 3^m. — [2] L. II, de Genesi ad litt., c. 1.

Resp. Cum doctrina de creatione satis innotescere possit ratione naturali, hinc de fide proprie et per se dici nequit, sed est praeambulum ad fidem [1].

ARTICULUS III. — *Utrum creatio sit aliquid in creatura.*

1. — **Distinctiones praemittendae.** — Ad praesentis dubii solutionem, primo distinguenda est creatio active et creatio passive accepta. Prior designat ipsam divinam actionem, quae est divina essentia cum relatione ad creaturam; et quia relatio Dei ad creaturam est rationis tantum, propterea creatio in Deo importat tantummodo relationem rationis. At, passive accepta, creatio importat in creatura relationem realem ad Deum, ut dictum est: et de hac re praecise hic quaeritur [2].

Secundo, distinctio facienda est, in creatione, inter modum significandi et id quod significatur. Creatio enim significatur ut mutatio, ut diximus; at realiter mutatio non est, sed est relatio. — His positis, sit

2. — PROP. — α) **Creatio, attento modo significandi, est quodammodo medium inter movens et mobile, et creatura est eius terminus;** β) **considerata autem in seipsa ex parte creaturae, ponit in ea tantummodo relationem.**

3. — **Prob. I^a Pars.** — Cum mutatio sit quodammodo medium inter movens et motum, hinc, creatio sic intellecta, concipitur tanquam aliquid medium inter Creatorem et creaturam; et hoc modo creatura concipitur ut eius terminus, sicut id quod fit concipitur tanquam terminus factionis.

[1] Cf. tr. n. DE SACRA DOCTRINA, Quaest. III, art. 2, n. 3, p. 192. Notandum. christianum creationis conceptum, qualis ab Angelico Doctore exponitur, non inveniri penes systemata philosophiae braminicae Indorum: quod si occasionaliter reperitur in litteratura sic dicta sanscrita, hoc non est nisi ob certam derivationem a revelatione primitiva in populos indo-arianos, apud quos ceterum christiana doctrina salutarem influxum, quoad resolutionem problematis de prima rerum origine, exercuisse censenda est. — [2] Ad 1^m.

4. — Prob. 2° Pars. — At creatio, vere et realiter, nec est mutatio, ut dictum est, nec consequenter est media inter Creatorem et creaturam, nec creatura est eius terminus, sed magis eius subiectum. — Hoc patet ex differentia quae est inter productionem rei cum motu seu mutatione, et productionem quae fit absque motu et mutatione. Nam, productio cum motu duo ponit in passo: scilicet, motum qui procedit ab agente in passum, et relationem qua agens refertur ad passum et e converso, et hoc, quia productio quae fit cum motu, fit ex aliquo praeexistente, ut contingit in productionibus entium. Sed creatio est productio sine motu seu mutatione, et consequenter non ponit in creatura nisi relationem tantum.

5. — Confirmatur. — Quod creatio aliquid in creatura ponat, confirmatur ex consideratione generationis, sive simpliciter, sive secundum quid consideratae, qua quidem fit aliquid secundum formam substantialem, vel accidentalem. Ergo multo magis creatio, qua fit aliquid secundum totam substantiam, est aliquid in creato [1].

Ulterius considerandum est quod creatio, passive sumpta, de qua hic agimus, est creatura et est in creatura, cum sit relatio creaturae ad Deum, ut dictum est. — Nec, ut obiiciunt aliqui, oportet ut alia creatione creetur, quia relationes, cum hoc ipso quod sunt, ad aliquid dicantur, per seipsas referuntur ad suum terminum, et non per alias relationes [2].

6. — Quaestio. — *Quodnam est prius, creatura, an eius relatio?*

Resp. Cum creatura sit revera subiectum creationis, eo modo quo omnis substantia est subiectum proprii accidentis, hinc necesse est dicere eam esse priorem relatione, sicut subiectum est prius accidente in essendo; licet active sumpta, id est, qualis est in Deo, creatio importet certam prioritatem relate ad obiectum ad quod refertur [3].

7. — Solvitur tacita obiectio. — *Obiicienti* quod si esset creatura subiectum creationis, scilicet passivae, conservaret

[1] Sed contra. — [2] Ad 2[m]. — [3] Ad 3[m].

ipsam, ita ut creatura, quamdiu esset, diceretur creari, — respondetur, non oportere ut quamdiu creatura est, dicatur creari, cum creatio importet habitudinem creaturae ad Creatorem, cum quadam novitate seu inceptione [1].

Articulus IV. — *Utrum creari sit proprium compositorum et subsistentium.*

1. — **Ratio articuli.** — Acto de ratione formali creationis, et comperto quod ipsa, utique passive accepta, sit relatio realis creaturae ad Deum illam in esse ex nihilo producentem, sequitur ut de causa materiali agatur, seu de rebus quibus competit creari. — Ubi statim triplex occurrit dubium: primum est de materia quae, cum supponatur in omni generatione, videretur ipsa sola esse subiectum illius quod supponitur in omni emanatione, quasi ipsa sola producatur per primam emanationem, unde in titulo, primo quaeritur de compositis; alterum dubium est de formis et accidentibus, quae non sunt res subsistentes, quales sunt, puta formae plantarum et animalium; tertium, de formis per se subsistentibus, quales sunt angeli et anima humana. Attamen ultimum hoc dubium vix obiter hic tangit S. Thomas, cum methodi diligens observator, qua visibilia tantum pro nunc considerat, de creatione talium spiritualium substantiarum ad alium locum reservet pertractandum [2].

2. — PROP. I. — **Creari est proprium subsistentium et compositorum.**

3. — **Prob.** — Cum creari sit quoddam fieri, ordinatum ad esse rei, illis proprie convenit creari, quibus proprie convenit esse. Sed esse convenit tantummodo subsistentibus, sive sint simplicia, ut sunt substantiae separatae, sive composita, ut sunt substantiae materiales.

4. — **Solvitur tacita obiectio.** — Nec obstat quod composita sunt ex materia et forma, et sic non possunt dici ex nihilo: nam licet sic resultent ex suis partibus, nempe ex du-

[1] Ibid. — [2] 1, Quaest., LXI, et XC.

plici elemento, scilicet materia et forma, sunt tamen ex nihilo, hoc sensu quod non fiunt ex aliquo praeexistenti: sic caelum et terra, quae sunt res compositae, dicuntur creata a Deo [1].

5. — PROP. II. — **Accidentia et formae non subsistentes non dicuntur creari, sed magis concreari.**

6. — **Prob.** — Formae et accidentia, et alia huiusmodi quae non subsistunt, non dicuntur entia, quasi ipsa sint, sed quia eis aliquid est: sic, albedo dicitur ens, quia per ipsam subiectum est album, unde dicit Philosophus quod accidens magis proprie dicitur entis, quam ens [2]. Ergo huiusmodi accidentia et formae non subsistentes magis sunt coexistentia quam existentia, et consequenter magis dici debent concreata, quam creata. Quapropter, materia prima, cum nec sit composita, nec per se subsistens, etsi nequeat produci nisi per creationem, tamen proprie creata dici non potest, sed magis concreata [3].

7. — **Quaestio.** — *Quo sensu dicitur:* PRIMA RERUM CREATARUM EST ESSE [4]?

Resp. Non quidem hoc sensu, quod esse sit ipsummet obiectum creatum, sed quod est propria ratio obiecti creationis. Nimirum, aliquid potest dici creatum, vel sic, ut sit obiectum creatum ut quod, quo modo subsistentia tantum dicuntur creata; vel sic, ut sit propria ratio obiecti creationis: quomodo creari convenit ipsi esse, et dicitur prima rerum creatarum, quia aliquid ex eo creari dicitur, quod est ens simpliciter, et non ex eo quod est hoc vel illud ens, cum creatio sit emanatio totius esse a causa universali. — Huius rei exemplum habetur in eo quod color dicitur primum visibile, licet coloratum sit id quod videtur: nimirum, color dicitur obiectum visus, in quantum est propria ratio videndi obiectum, cum omne coloratum videatur secundum quod habet colorem [5].

[1] Ad 2[m]. — [2] L. XVII Metaphys., t. 2. — [3] Ad 3[m]. — [4] L. de Causis, prop. 5. — [5] Ad 1[m].

Articulus V. — *Utrum solius Dei sit creare.*

1. — Ratio articuli. — De causa efficiente nunc agitur, non quatenus demonstrari velit Deum posse creare, id enim iam inde ab articulo secundo statutum, est, sed quatenus ab hac praerogativa alius quicumque a Deo excludi debeat. Momentosus est praesens articulus, ex quo habetur clavis ad solvendum problema non solum de prima, sed etiam de secunda rerum productione: scilicet, de modo quo res effectus sibi similes producunt in mundo, necnon de differentia, puta, inter propagationem generis humani et constitutionem militiae angelicae. — Ubi, claritatis causa, primo distinguenda erit causa principalis a causa instrumentali; secundo, ostendendum erit creaturas non solum causas principales, sed nec instrumentales esse posse in creatione [1].

2. — Sententia ponentium creaturas posse esse instrumenta in creatione. — Sciendum est autem quod etsi non inveniantur qui dixerint creaturas posse creare tanquam principaliter agentes, nonnulli tamen easdem tamquam instrumenta Dei, id facere posse autumarunt. Dixerunt nempe quod, sicut potest aliqua causa concurrere ad productionem alicuius effectus tum virtute propria, ut ignis ad calefaciendum et faber ad scamnum, tum virtute alterius, seu instrumentaliter, ut serra ad scamnum faciendum, ita creatura, dato quod non possit creare virtute propria, sicut homo virtute propria concurrit ad generationem hominis, potest tamen ipsamet instrumentaliter a Deo assumi, ut sit instrumentum creationis, seu ministerialiter, quemadmodum serra concurrit ad conficiendum scamnum. Et haec quidem fuit sententia Avicennae, dicentis quod prima substantia separata creavit aliam substantiam sub se, et substantiam orbis, et animam eius, et quod substantia orbis creat materiam inferiorum corporum [2].

[1] Argumentum hic positum eodem modo prosequitur Angelicus in 1. Quaest. LXV, art. 3. — [2] Verba sunt Avicennae: *Ex eo quod prima*

3. — **Opinio Magistri Sententiarum.** — Hac in re celebris omnino evasit sententia Magistri Sententiarum [1], qui censuit posse Deum creandi potentiam alicui creaturae communicare, non quidem ut id ex propria auctoritate faciat, sed ministerialiter: quam opinionem Durandus a S. Portiano († 1326) [2], et nonnulli alii theologi susceperunt.

4. — **Verba S. Thomae iunioris.** — Equidem S. Thomas iunior, ob reverentiam tanti magistri, in suo Commentario in hunc locum, conatus est benigne sententiam illam interpretari, his verbis [3]: *Quia tamen Magister in littera dicit, quod potest creaturae communicari ministerium creationis et non auctoritatis, si quis vellet eum in hoc sustinere, posset dicere quod tunc proprie aliquid creatur, quando fit ex nullo praeexistente. Unde patet quod creatio de sui ratione excludit praesuppositionem alicuius praeexistentis. Hoc autem contingit dupliciter. Uno modo, ita quod excludat omne praeexistens et ex parte agentis et ex parte facti, ut scilicet creatio dicatur quando nec agit virtute alicuius prioris agentis, nec factum sit ex aliqua praexistente materia: et haec est potentia auctoritatis in creando, et est infinita; et ideo nulli creaturae communicari potest. Alio modo, ita quod excludat praeexistens ex parte facti, sed non ex parte agentis, ut scilicet dicatur creatio, sed minus proprie, quando aliquod agens virtute alicuius prioris agentis ex non praesupposita materia aliquem effectum producit, et sic erit creationis ministerium; et ita aliqui philosophi posuerunt aliquas creaturas creare: et sic Magister dicit quod potuit communicari potentia creandi, non est autem alicui communicata.* — At sententiam hanc Angelicus Doctor, tum in Summa contra Gentiles [4] tum in Summa theologica [5] prae-

intelligentia Primum intelligit, prodit intelligentia; et ex eo quod spectat suam essentiam secundum duos suos modos, fit prima multiplicitas cum suis duabus partibus, nempe materia et forma. Metaphysices Compendium, interprete Excell. D.no Nematallah Carame ep. Mynden. Romae, 1926, p. 195. Vide notas, tum pp. XXV, seq., tum in cit. l.

[1] 4, Dist. V, § 3. — [2] 2, Dist. I, quaest. IV. — [3] In l. cit. Quaest. I, art. 3, quaest. III, ad 4. — [4] L. II, Cap. 21. — [5] Hoc loco.

fracte reiicit, quem luminaria Scholae sequntur, inter quos adnumerandi sunt Scotus, Richardus a S. Victore et Caietanus. — Hinc sit

5. — PROP. — α) **Ita solius Dei est creare,** β) **ut creatura quaecumque nec possit vel instrumentaliter ad creandum concurrere.**

6. — **Auctoritates Sacrae Scripturae.** — Sacra Scriptura non solum attribuit Deo creationem omnium rerum, his verbis [1]: *In principio creavit Deus caelum et terram,* sed etiam hoc tanquam eius privilegium palam agnoscit [2]: *Unus est altissimus Creator omnipotens;* et rursus [3]: *Haec dicit Dominus redemptor tuus, et formator tuus ex utero: Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens caelos solus, stabiliens terram, et nullus mecum.* Similiter [4]: *Qui omnia creavit, Deus est.* Rursus, in Isaia [5]: *Quis mensus est pugillo aquas, et caelos palmo ponderavit? quis appendit tribus digitis molem terrae, et libravit in pondere montes, et colles in statera? Ecce gentes* (coram eo) *quasi stilla situlae, et quasi momentum staterae reputatae sunt: ecce insulae quasi pulvis exiguus.*

7. — **Patres.** — Ex Patribus, iuvat audire S. Athanasium [6]: *Qui enim fieri queat, ut* (Filius) *ea quae non sunt efficiat ut sint, si, ut putatis, factus ex nihilo est? Quod si ille, licet creatus, possit producere creaturam, certe idem de singulis creaturis erit intelligendum, nempe, illas quoque creare posse. Quod si a vobis conceditur; quid Verbo opus fuit, cum inferiores a superioribus effici queant: vel saltem cum res singulae factae potuerint a Deo initio audire,* Fias, *et,* Efficere, *atque ita fuissent productae? Verum neque id scriptum est, neque fieri potuit. Nulla enim rerum quae fiunt causa est efficiens: ...nec enim vel angeli possunt creare, cum ipsi sint creati.* S. quoque Basilius [7]: *Potestas eadem non communis est facturae cum factore; nihil ergo commune Patri cum Filio, ne creatio quidem, si factura, non genitura est Filius.*

[1] Gen., I. 1. — [2] Eccli., I, 8. — [3] Is., XLIV, 24. — [4] Hebr., III, 4. — [5] Is., XL, 12, 15. — [6] Cf. Arianos. Or. II, n. 21. — [7] Adv. Eunom. l. IV, c. 3, n. 1. Cf. Ep. CXLI, t. III, p. 171.

Idipsum docet S. Augustinus [1]: *Angeli nullam omnino possunt creare naturam, solus enim unus cuiuslibet naturae, seu magnae, seu minimae creator est Deus... Creare naturam tam nullus angelus potest, quam nec seipsum.* Qui rursus ait [2]: *Mundus ipse, ordinatissima sua mutabilitate et mobilitate, et visibilium omnium pulcherrima specie, quodammodo tacitus et factum se esse, et nonnisi a Deo ineffabiliter aque invisibiliter magno et ineffabiliter atque invisibiliter pulcro, fieri se potuisse proclamat.* Alibi quoque dicit [3], quod neque boni angeli, neque mali possunt esse creatores alicuius rei: ex quo infertur multo minus creaturas inferiores id esse posse. Demum, in libro de Causis dicitur [4] quod neque intelligentia, vel anima nobilis dat esse, nisi in quantum operatur operatione divina: quod non est sic intelligendum, quasi operatio divina creaturae possit communicari, sed quia id sola operatione divina obtineri potest.

Demum, hoc esse Dei privilegium S. Cyrillus Alexandrinus expresse profitetur [5]: *Divinae gloriae maxime repugnat quod alii existimentur posse creare et vocare ad existentiam ea quae non erant. Non enim fas est dicere quod ea, quae divinae et ineffabilis naturae propria ac singularia sunt, aliquibus rerum ex ipsis creatarum naturaliter inesse possint. Sed hoc ei soli convenit, et ad summam eius gloriam pertinet.* Quocirca, concludendum est, attribuere cuicumque creaturae potentiam creandi, rem esse impiam et haereticam. Unde ait S. Ioannes Damascenus [6]: *Quicumque aiunt angelos creatores esse cuiuscumque substantiae, isti sunt os patris sui diaboli: creaturae enim cum sint, non sunt creatores* [7].

8. — Prob. 1ª Pars. — Sicut oportet universaliores effectus reducere in priores causas, ita necesse est ut effectus

[1] De Genesi ad litteram, l. 9, c. 15, n. 26, 28. — [2] L. XI de Civ. Dei, c. 4, t. VII, col. 274. — [3] L. III de Trin. c. 8. — [4] Inter Opp. S. Aug. Prop. 3. — [5] Contra Iul., Imp. L. II, n. 62. — [6] L. II de Fide orthod., c. III, t. I, p. 158: Ὅσοι δὲ φασι τοὺς ἀγγέλους δημιουργοὺς τῆς οἱασδήποτε οὐσίας, οὗτοι στόμα εἰσὶ τοῦ πατρὸς αὐτῶν, τοῦ διαβόλου· κτίσματα γὰρ ὄντες, οὐκ εἰσὶ δημιουργοί. — [7] Similia habent S. Irenaeus adv. haer., l. 2, c. II, n. 5; S. Ambrosius, Hexaem., l. III, cap. 7, n. 32; Theodoretus, Haer. fabul., l. V, c. 5.

universalissimus reducatur in universalissimam causam. Atqui per creationem producitur universalissimus effectus, scilicet ens, seu esse absolute, non in quantum est hoc vel tale, sed in quantum est ens. Ergo creatio est propria universalissimae causae, quae Deus est.

9. — Solvuntur difficultates. — I. Maior requiritur potentia ad faciendum aliquid ex contrario, quam ex nihilo, propter resistentiam contrarii, quae non habet locum in productione ex nihilo. Atqui videmus creaturam facere aliquid ex contrariis. Ergo multo magis potest aliquid facere ex nihilo.

Resp. *Dist. mai.:* attenta oppositione patientis ad agens, *conc.;* attenta elongatione patientis ab actu, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Dupliciter potest difficultas attendi in aliqua actione perficienda: primo, ex resistentia patientis; secundo, ex eius elongatione ab actu. Porro, prior difficultatis modus non reperitur in omnibus actionibus, sed tantummodo in actionibus agentium quae mutuo agunt et patiuntur: sic ignis intendens reducere materiam aquae in actum sibi similem, impeditur per formam et dispositiones contrarias aquae, quibus quasi ligatur potentia ignis, ne reducatur in actum.

Porro, talis difficultas non attenditur in creatione, in qua nulla resistentia invenitur ex parte patientis. Tota igitur difficultas inibi provenit ex elongatione patientis ab actu; nimirum, quanto magis potentia elongatur ab actu, tanto maior difficultas in actione invenitur. Quae cum ita sint, cum purum non ens magis elongetur ab actu quam materia cuicumque contrario, quantumvis intenso, subiecta, hinc sequitur maioris esse virtutis producere aliquid ex nihilo, quam ex contrario; ideoque, ex hoc quod creatura facit aliquid ex contrario, minime sequitur illam posse vel minimam rem creare.

II. Ad habendum effectum finitum, sufficit virtus finita. Atque omnis effectus, qui per creationem producitur, est finitus. Ergo per virtutem finitam creaturae potest aliquid creari.

Resp. *Dist. mai.:* ad habendum effectum finitum, finito modo producendum, sufficit virtus finita, *conc.;* modo infi-

nito, *nego. Dist. min.:* est finitus in se, seu in sua substantia, *conc.;* in modo quo producitur, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Virtus facientis non solum consideratur ex substantia facti, sed etiam ex modo faciendi: maior enim calor, non solum magis, sed etiam citius calefacit. Quamvis igitur facere aliquem effectum finitum, non demonstret potentiam infinitam; tamen producere ipsum ex nihilo demonstrat potentiam activam infinitam, in quantum scilicet nulla omnino potentia passiva invenitur in creatura. Si enim tanto maior virtus requiritur in agente, quanto potentia est magis remota ab actu, oportet quod virtus creantis sit infinita quando nulla est potentia, quia nulla est proportio nullius potentiae passivae ad potentiam activam agentis cuiuscumque. Quocirca, si quod agens posset vel minimum ens producere, oporteret illud habere simpliciter potentiam infinitam. Atqui nulla creatura habet potentiam infinitam. Manifestum ergo relinquitur nullam creaturam posse creare [1].

10. — Verba Card. Satolli. — Iuvat hic verba referre, quibus Card. Satolli ultimo loco positam animadversionem illustrat. *Tanto maior virtus*, ait ille [2], *requiritur in agente, quanto potentia eius quod fit est ab actu remotior. Unde opus est infinita virtute ut ex nulla praesupposita potentia quidpiam efficiatur. Quae argumentatio non fundatur praecise supra improportionem extremorum; verum super illa dialecticorum formula et Mathematicis vulgatissima: quando sunt duo extrema quae proportione inversa se habeant: quantum minuitur unum, reliquum proportionaliter in tantum crescit: idcirco si unum ponatur diminui usque ad non gradum, suum compar crescit supra omnem gradum, id est in infinitum; atque hoc patescit formula illa qua solet exprimi lex naturae inter velocitatem et motum, constante spatio. Secus foret dicendum quod virtus finita sit ad infinitum effectum gignendum apta. Stat ergo solidissima demonstratio, virtutem creandi esse infinitam, ideo incommunicabilem cum principaliter tum secundarie* [2].

11. — Prob. 2ª Pars. — Illud quod concurrit instrumentaliter ad aliquid producendum, debet posse, propria virtute

[1] Ad 3m. — [2] De Operat., div. p. 417.

et actione, operari aliquid dispositive ad productionem effectus agentis principalis. Atqui nulla creatura potest propria virtute et actione aliquid dispositive operari ad effectum creationis. Ergo nulla creatura potest instrumentaliter concurrere ad creandum.

12. — Exponitur. — Ad *maiorem*, dicitur quod causa instrumentalis participat actionem causae principalis, operando dispositive, per aliquid sibi proprium, ad effectum principalis agentis: si enim ageret propria virtute ad productionem effectum principalis agentis, frustra adhiberetur ad agendum, nec oporteret esse determinata instrumenta ad determinatas actiones et effectus: sic artifex, ad scamnum faciendum, aeque posset uti securi aut calamo. Ergo, ex hoc quod videmus determinata esse instrumenta ad effectus determinatos, sponte deducimus huiusmodi instrumenta concurrere dispositive, per propriam virtutem et actionem, ad effectum principalis agentis.

Ad *minorem*. dicitur quod effectus Dei creantis est prior omnibus actionibus creaturarum, quia cum creatio sit ex nihilo, non potest esse aliquod disponibile, circa quod exerceatur actio agentis instrumentalis. Ergo relinquitur, impossibile esse ut alicui creaturae conveniat vel instrumentaliter concurrere ad creationem.

13. — Scholion. — Quoniam posuit Avicenna, quod creare potest convenire etiam corpori, dum affirmavit corpora superiora creare materiam corporum inferiorum, hinc specialiter hic adiungitur hoc praecipue corporibus repugnare: quia omne corpus semper requirit in sua actione aliquid praeexistens tangibile vel mobile, cum nullum corpus agat nisi tangendo vel movendo. Ergo repugnat aliquod corpus aliquo modo ad creationem concurrere.

14. — Differentia inter creationem et miraculum. — Ex dictis erui potest formalis differentia quae ex hoc capite, intercedit inter creationem et miraculum. Nimirum, ultro admittitur, in miraculo, actio instrumentalis creaturae, disponentis materiam ad formam recipiendam, vel saltem deferentis ad eamdem divinum mandatum; in creatione vero

non datur directe locus tali cooperationi activae in disponenda materia obiecti creandi, licet possit aliqua dispositio fieri per creaturam circa subiectum aliquod ad recipiendam formam substantialem per creationem producendam: quo modo recte scribit Laurentius Opimus, insignis theologus Ord. Serv. B. M. V. [1]: *Licet creatura non possit cooperari in opere creationis active, potest tamen cooperari dispositive, quia creatura potest solum disponere: sine cuius dispositione tale creatum non crearetur, sicut id est de embrione in dispositione organorum ad animam intellectivam.*

15. — Cur substantiae spirituales similes in specie producere nequeunt. — Ex huius articuli doctrina ratio eruitur, quare spirituales substantiae similes in specie producere nequeunt, sicut possunt plantae, animalia et homo. Id quippe, si facerent, facerent vel ex creatione, vel ex reproductione. Atqui neutrum potest admitti. Nam, creare non possunt; producere autem simile in natura non possent, nisi applicando naturam suam ad aliquid praexistens sicut facit homo, cum producit sibi simile in natura.

Enimvero hic homo, participans humanam naturam, faciendo sibi simile, non potest producere naturam humanam absolute, secus esset causa etiam sui ipsius: sed, generando, homo est causa quod natura humana fit in hoc homine generato, et hoc quia necessario praesupponit in sua actione determinatam materiam, per quam faciat hunc hominem. Porro, quemadmodum hic homo participat humanam naturam, ita quodcumque ens creatum participat, ut ita dixerim, naturam essendi, quia solus Deus est suum esse. Nullum igitur ens creatum potest producere ens absolute, sed producit seu causat esse in hoc; unde oportet ut in qualibet actione creaturarum praeintelligatur id per quod aliquid est hoc, scilicet materia. Porro, in substantia immateriali non potest praeintelligi aliquid, per quod sit haec, cum sit haec tantum per suam formam, per quam habet esse, cum sit forma subsistens non receptibilis in materia. Quapropter substantiae immateriales cum hinc quidem creare non pos-

[1] In l. II, Dist. I, Quaest. V, p. 5, verso.

sint. illinc vero nequeant applicare naturam suam ad praeiacientem materiam, ideo nequeunt producere sibi simile quantum ad substantiam, sicut faciunt substantiae corruptibiles, in quibus sunt principia individuantia quibus natura communis fit haec.

16. — Scholion. — Quae cum ita sint, si quando dicantur substantiae immateriales facere sibi simile, hoc est intelligendum non de productione simpliciter, sed secundum quid, id est attenta perfectione superaddita, quo modo angelus superior illuminat inferiorem, ut dicitur in libro *de caelesti Hierarchia* [1]: secundum quem modum in caelestibus est paternitas, ut habetur ex Apostolo, cum dicit [2]: *Ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur*; ut sic. per illuminationem, quam complent Angeli superiores relate ad inferiores sibi similes, paternitas quaedam attendatur, sicut in magistro, qui docendo discipulum, facit eum sibi similem secundum scientiam [3].

Articulus VI. — *Utrum creare sit proprium alicuius personae.*

1. — Propria et appropriata in divinis personis. — Ad praesentis quaesiti, in quo de causa efficiente creationis agitur, intelligentiam, recolendum primo loco, ex tractatu de SS.ma Trinitate, venit, ita distinguenda esse, in divinis personis, propria ab appropriatis, ut illa quidem singulis personis conveniant, prout distinguuntur ab invicem per relationes, sicut Patri attribuitur generare, et Filio generari, haec autem, licet communia sint toti Trinitati, singulis tamen personis attribuantur, ob affinitatem quam cum eisdem habent, sicut Patri attribuitur potentia, Filio sapientia, Spiritui Sancto bonitas [4].

2. — PROP. — α) Licet creare sit commune toti Trinitati, β) personae tamen divinae, secundum rationem suae

[1] C. 4. — [2] Eph., III, 15. — [3] Ad 1[m]. — [4] Cf. tr. n. de SS.ma Trinitate, Quaest. XXXIX, art. 8, n. 6, p. 349.

processionis, in quantum includunt attributa essentialia, scilicet intellectum et voluntatem, habent unaquaeque propriam causalitatem respectu productionis rerum.

3. — **Prob. 1ª Pars.** — Cum esse divinum, quod est Dei essentia, sit toti Trinitati commune, hinc actio illa, seu productio quae Deo convenit secundum quod habet esse, dicenda est communis toti Trinitati. Atqui productio esse creaturarum Deo convenit secundum quod habet esse. Ergo productio esse creaturarum per creationem non est propria alicuius personae divinae, sed est communis toti Trinitati.

Quocirca, in hoc quod dicitur [1] : *In principio creavit Deus*, pro Deus, in hebraico, habetur pluraliter Elohim, ad innuendam pluralitatem personarum, cum tamen verbum singulare, *creavit*, unitatem essentiae in Deo significet.

4. - **Exponitur.** — Revera, sicut effectus assimilatur suae causae quantum ad principium operandi, sicut patet in igne genito, qui assimilatur igni generanti in forma, quae est principium quo ignis generat ignem; ita creaturae assimilantur Deo in esse. Quapropter solet dici quod in operationibus ad extra, tres divinae personae communicant; et auctor libri *de Divinis Nominibus* ait [2] quod communia totius Trinitatis sunt omnia creabilia.

4. — **Prob. 2ª Pars.** — Quod est prius et perfectum, est causa eius quod est posterius et imperfectum. Atqui processio divinarum personarum est prior et magis perfecta quam processio creaturarum, cum divina persona procedat secundum perfectam similitudinem sui principii, creaturae vero secundum similitudinem imperfectam. Ergo processiones divinarum personarum sunt causa processionis creaturarum [3]. — Manet autem explicandum quo sensu creare sit a processionibus divinarum personarum.

6. — **Quo sensu in processionibus divinarum personarum respectus habeatur ad originem rerum per creationem.** — Ad hoc intelligendum, recolendum est quod, sicut se habent artifex, verbum ab eo conceptum, et eius amor ad pro-

[1] Gen., I, 1. — [2] C. 2. — [3] Ad 1m.

ductionem artificiati; sic se habent Pater, Filius, et Spiritus Sanctus ad productionem creaturarum. Porro unicuique horum, scilicet artifici, verbo et amori, proprius attribuitur modus causandi, propter diversam rationem unius et alterius. Nam artifex per verbum suum conceptum in intellectu, et per amorem suae voluntatis ad aliquid relatum operatur. Igitur, simili modo Deus Pater operatus est creaturam per suum verbum, et per suum amorem, qui est Spiritus Sanctus. Quocirca processiones divinarum personarum, prout includunt essentialia, sunt ratio ut ipsis personis attribuatur diversus modus causandi. Unde, in tractatu *de SS.ma Trinitate* docetur, in nomine *Verbi* importari respectum ad creaturam [1], quod proportionaliter dici potest de nomine *Amoris*.

7. — Confirmatur. — Potest aliquid differenter attribui personis, quod tamen eis communiter conveniat: sicut apparet de natura divina quae, licet sit communis tribus personis divinis, ordine tamen quodam eisdem convenit in quantum Filius accipit naturam divinam a Patre, et Spiritus Sanctus ab utroque. Igitur, licet virtus creandi sit tribus personis communis, ordine tamen quodam eisdem convenit: nam Filius eam habet a Patre, et Spiritus Sanctus ab utroque; unde creatorem esse attribuitur Patri, ut ei qui non habet virtutem creandi ab alio; de Filio autem dicitur, *per quem omnia facta sunt* [2], inquantum habet eamdem virtutem, sed ab alio: nam haec praepositio *per* solet denotare causam mediam, sive principium de principio; denique, Spiritui Sancto, qui habet eamdem virtutem ab utroque, attribuitur quod dominando gubernet et vivificet quae sunt creata a Patre per Filium: quocirca, rite dicebatur, etiam communia tribus personis ordine quodam eisdem attribui.

8. — Corollarium. — Quae cum ita sint, patet ea quae differenter divinis personis attribuuntur in duplici esse differentia: quaedam enim conveniunt eis, prout distinguuntur ab invicem ad intra per relationes: quo modo attribuitur Patri generare, Filio generari, Spiritui Sancto procedere:

[1] Quaest. XXXIV, art. 3, n. 2, p. 228. — [2] Io., I, 3.

et haec conveniunt personis proprie. Quaedam vero eis conveniunt ratione alicuius attributi per respectum ad extra: quae, licet sint communia toti Trinitati, differenter tamen attribuuntur personis: sicut Patri attribuitur potentia, quae quia maxime manifestatur in opere creationis, ideo Patri attribuitur creatorem esse; Filio autem appropriatur sapientia, per quam agens per intellectum operatur, unde de eo dicitur quod per eum omnia facta sunt [1]; denique Spiritui Sancto appropriatur bonitas, ad quam pertinet gubernatio deducens res in debitos fines, et vivificatio: nam vita in interiori quodam motu consistit: primum autem movens est finis et bonitas [2].

9. — Solvitur difficultas. — Determinatus modus causalitatis, attributus uni personae magis quam alii, arguit in Deo distinctionem in creando, secundum relationes et processiones. Atqui, ex dictis, singulis personis, per respectum ad creationem, attribuitur determinatus modus causalitatis in creatione, puta, Patri, quantum ad potentiam; Filio quantum ad sapientiam; Spiritui Sancto, quantum ad bonitatem. Ergo divinae personae distinguuntur in creando secundum relationes et processiones.

Resp. *Dist. mai.:* in operationibus ad intra, *conc.;* in operationibus ad extra, *nego. Dist. min.*: sic ut quilibet effectus procedat ab uno attributo cum exclusione aliorum, *nego:* sic ut procedat ex quolibet attributorum, reducatur tamen ad illud attributum cum quo habet convenientiam secundum propriam rationem, *conc. Nego conseq. et conseq.* — In opere creationis, tria possunt considerari: primo, productio totius substantiae rei ex nihilo; secundo, distributio rerum secundum determinatas species; tertio, earumdem ordinatio ad finem, qui attenditur secundum bonitatem. Igitur, creatio, secundum primum modum considerationis, reducitur ad potentiam, quae attribuitur Patri; secundum alterum modum, reducitur ad sapientiam, quae Filio attribuitur; secundum tertium modum, reducitur ad misericordiam et bonitatem se abundanter diffundentem, quae Spiritui Sancto attribuitur [3].

[1] Io., I, 3. — [2] Ad 2[m]. — [3] Ad 3[m].

10. — **Scholion.** — Ex verbis S. Thomae modo recitatis [1], utiliter deduci potest quam apte operationes vitae spiritualis, seu interioris, reduci possint ad appropriata divinarum personarum in relatione ad creationem: quatenus scilicet, sub potenti influxu Patris recreationem animae per gratiam operantis, et sub illuminatione Verbi, qui est *lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* [2], vivificet et motu quodam interiori ad perfectionem adducat Spiritus Sanctus omnes animae operationes: quod maxime apparet in Beatissima Virgine Maria, cuius sanctissima anima, inde a primo momento suae conceptionis illuminationibus et operationibus divinae gratiae undequaque perfusa mansit, et cuius vita inclita cunctas illustrat ecclesias [3].

Articulus VII. — *Utrum in creaturis sit necesse invenire vestigium Trinitatis.*

1. — **Differentia inter vestigium et imaginem.** — Ad huius quaesiti intelligentiam necesse est primo loco differentiam assignare quae intercedit inter vestigium et imaginem quae quidem in hoc conveniunt, quod utrumque repraesentat; et quidem vestigium, repraesentat id cuius est vestigium, et imago id cuius est imago, quia omnis effectus aliquo modo repraesentat causam suam. At differentia est in hoc, quod quidam effectus repraesentant tantummodo causalitatem causae, non autem formam illius, sicut fumus denuntiat ignem, quin illius formam repraesentet, et huiusmodi dicitur repraesentatio per modum vestigii: vestigium enim demonstrat motum alicuius transeuntis, non autem qualis hic sit. Alii autem effectus causam repraesentant quantum ad similitudinem formae, sicut filius repraesentat patrem generantem, est enim in filio similitudo formae genitoris, et similiter statua Mercurii repraesentat Mercurium; et haec vocatur repraesentatio per modum imaginis.

Vestigium, ait alibi S. Thomas [4]: *repraesentat per modum*

[1] Sub fine, n. 8. — [2] Io., 1, 9. — [3] Hoc scribebam in festo Nativitatis B. M. V., 1926. — [4] 1, Quaest. XCIII, art. 9.

effectus, qui sic repraesentat suam causam, quod tamen ad speciei similitudinem non pertingit: impressiones enim quae ex motu animalium relinquuntur, dicuntur vestigia, et similiter cinis dicitur vestigium ignis, et desolatio terrae vestigium hostilis exercitus. — At vero, observat idem S. Doctor [1], *requiritur ad rationem imaginis quod sit similitudo secundum speciem, sicut imago regis est in filio suo, vel ad minus secundum aliquod accidens proprium speciei, et praecipue secundum figuram, sicut hominis imago dicitur esse in cupro.*

2. — PROP. — α) **In solis creaturis rationalibus invenitur repraesentatio Trinitatis per modum imaginis; β) in ceteris vero creaturis invenitur repraesentatio per modum vestigii.**

3. — **Prob. 1ª Pars.** — Processiones divinarum personarum attenduntur secundum actum intellectus et voluntatis: nam Filius procedit ut Verbum, Spiritus Sanctus vero, ut amor. Igitur, creaturae, in quibus huiusmodi processiones inveniuntur, repraesentant Trinitatem per modum imaginis. Atqui praecise in creaturis rationalibus, eisque solis, inveniuntur processiones secundum actus intellectus et voluntatis: in eis quippe invenitur verbum conceptum et amor. Ergo in solis creaturis rationalibus invenitur repraesentatio Trinitatis per modum imaginis. — En quanta est hominis nobilitas, ut habeat impressam in anima sua sublimem Trinitatis beatae imaginem!

4. — **Scholion.** — Haec tamen imago, primis quidem lineis adumbrata in natura humana, completur quando, per baptisma, homo recipit, una cum remissione culpae originalis, divinae gratiae donum: tunc quippe mirabiliter efferuntur ea, quae dixerim, divina lineamenta, non solum quantum ad unitatem essentiae, sed etiam quantum ad trinitatem personarum. Porro, imago ista, iam in se pulcherrima, pulcrior adhuc et expressior redditur cum homo, gratia donatus, actualiter occupatur in contemplatione et amore Dei, cum scilicet eius anima velut vivum speculum efficitur, in quo splendent, in distinctione personarum et unitate na-

[1] Ibid., art. 2.

turae, Pater, Filius et Spiritus Sanctus, iuxta dictum Domini nostri [1]: *Si quis diligit me,... Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* — Oh, utinam nunquam deturparetur in nobis, per peccatum, splendens haec Sanctissimae Trinitatis imago!

5. — Prob. 2ª Pars. — Ea, in quibus inveniuntur aliqua, quae necesse est reducere ad divinas personas, sicut in causam, repraesentant Trinitatem per modum vestigii. Atqui in qualibet creatura inveniuntur aliqua, quae necesse est reducere in divinas personas, sicut in causam. Ergo omnes creaturae repraesentant Trinitatem per modum vestigii.

6. — Exponitur minor. — In qualibet creatura tria inveniuntur: primum est subsistere in suo esse; secundum, aliqua forma, per quam determinatur ad speciem: tertium, ordo ad aliquod aliud [2]: — Igitur, secundum quod est quaedam substantia creata subsistens in suo esse, repraesentat causam et principium: et sic demonstrat personam Patris, qui est principium non de principio. Secundum autem quod habet quamdam formam et speciem, repraesentat Verbum, secundum quod forma artificiati est ex conceptione artificis. Demum secundum quod habet ordinem, repraesentat Spiritum Sanctum, inquantum est amor, quia ordo effectus ad aliquid est ex voluntate creantis.

7. — Auctoritas S. Augustini. — Quapropter, S. Augustinus dicit [3]: quod vestigium Trinitatis invenitur in unaquaque creatura, secundum quo dunum aliquid est, et secundum quod aliqua specie formatur, et secundum quod quendam ordinem tenet: — Secundum quod aliquid est, repraesentat Patrem: secundum quod aliqua specie informatur, repraesentat Filium; secundum quod quemdam ordinem tenet, repraesentat Spiritum Sanctum. Et ad haec etiam reducuntur illa tria, *numerus, pondus,* et *mensura,* quae ponuntur in libro Sapientiae [4]: mensura refertur ad substantiam rei limitatam

[1] Io., XIV, 23. — [2] Cf. Tract. n. de Deo Uno, Quaest. V, art. 5, n. 2, p. 134. — [3] L. VI de Trin. — [4] XI, 21.

suis principiis; numerus ad speciem, et pondus ad ordinem. Et ad haec etiam reducuntur illa tria, quae ponit S. Augustinus scilicet *modus, species, et ordo*, necnon ea, quae ponit in libro *Octoginta Trium Quaestionum* [1]: *Quod constat, quod discernitur, quod congruit*: constat enim aliquid per suam substantiam; discernitur per formam; congruit per ordinem.

8. — Scholion. — Quae cum ita sint, patet quantae utilitatis sit pro profundiori studio naturae acquirendo, rerum huius mundi productionem ad supradicta principia, ex Trinitatis consideratione derivata: ex adverso, constat illius de mundo investigationes necessario diminutas et mancas evadere, qui negligit Trinitatis vestigia in illo deprehendere: plura quippe eum effugiant necesse est, sive ad rerum praestantiam, sive ad earum harmoniam et ordinem partium, pertinentia.

9. — Solvuntur difficultates. — I. Unumquodque per suum vestigium potest investigari. Atqui Trinitas personarum non potest investigari ex creaturis. Ergo in creaturis non invenitur vestigium Trinitatis.

Resp. *Dist. mai.*: sic, ut cognoscatur quod sit, *conc.*; ut cognoscatur quid in se sit, *nego. Dist. min.*: quoad propria, *conc.*; quod appropriata, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Non huc spectat repraesentatio vestigii, ut res in se, secundum sua propria cognoscatur, sed tantum secundum communia quaedam, sicut ex pedis vestigio scitur animal pertransisse, quin tamen quale fuerit dignoscatur. Sic ergo repraesentatio vestigii, relate ad Trinitatem, attenditur non secundum propria, sed secundum appropriata, per quem modum in aliquam cognitionem divinarum personarum potest deveniri, dato semel mysterium istud fuisse revelatum, ut ostenditur in tractatu *de SS.ma Trinitate* [2], cum tota natura impar sit quae nos in huius mysterii cognitionem perducat.

II. Effectus non repraesentat nisi suam causam. Atqui productio creaturarum est effectus divinae naturae communiter acceptae. Ergo per productionem creaturarum non manifestatur nisi unitas essentiae.

[1] Quaest. XVIII. — [2] Quaest. XXXII, art. 1, pp. 160, seq.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* attento respectu ad relationes et processiones divinarum personarum, *conc.;* praecisione facta a tali respectu, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Iam dictum est, in creatione rerum, respectum haberi ad processiones personarum, secundum quod artifex operatur per intellectum et voluntatem; ideoque necesse est in qualibet creatura inveniri aliqua quae oportet reducere in divinas personas, sicut in causam [1].

III. Si vestigium Trinitatis, habita ratione creationis, invenitur in creaturis secundum tria praedicta [2]. ergo in unoquoque horum, cum sit creatum, oportebit iterum Trinitatis vestigium deprehendere. Atqui sic esset procedere in infinitum, quod est inconveniens. Ergo in creaturis, ratione creationis, non invenitur vestigium Trinitatis.

Resp. *Dist. mai.:* si illa tria, de quibus supra, essent creaturae proprie dictae, id est, in suo esse subsistentes. *conc.*; si sint tantum creaturae communiter, id est, denotantes id quod in creaturis invenitur, *nego. Conc. min Nego conseq. et conseq.* — Nomen creaturae primo sumi potest proprie, scilicet pro eo quod in suo esse subsistit, ut leo et lapis; secundo, sumi potest communiter, scilicet ad significanda omnia quae in creaturis inveniuntur, ut partes et accidentia. Cum autem vestigium non possit dici proprie creatura, hinc non est necesse in eodem inveniri aliquod aliud vestigium [3].

Articulus VIII. — *Utrum creatio admisceatur in operibus naturae et artis.*

1. — Ratio dubitandi. — Additur praesens articulus ob formas, sive naturales, sive artificiales, quae, cum non habeant materiam quae sit pars sui, propterea non videntur posse produci ex nihilo. — Quae cum ita sint, aliqui dixerunt eas non fieri aut incipere per actionem naturae, sed prius extitisse in materia, quasi in ea latentes. Alii vero, ultro admittentes huiusmodi formas fieri, easdem repetierunt non ab agente naturali, sed ab agente separato per crea-

[1] Ad 3m. — [2] Supra, nn. 6, 7. — [3] Ad 2m.

tionem. — Contra quos statuendum est, creationem praesupponi productioni huiusmodi formarum, scilicet non subsistentium: nam, de formis subsistentibus, ut sunt animae humanae, dicetur infra illas produci per creationem.

2. — PROP. — **Creatio non admiscetur operibus naturae et artis, sed haec eis praesupponitur.**

3. — **Prob.** — Quotiescumque aliquid producitur ex aliquo, non admiscetur creatio, sed haec eis praesupponitur. Atqui in operibus naturae et artis semper producitur aliquid ex aliquo, scilicet compositum, cuius tantum est proprie fieri ex materia. Ergo in operibus naturae et artis non admiscetur creatio, sed haec eis praesupponitur.

4. — **Satisfit rationibus supra positis.** — Igitur dicendi sunt primae classis philosophi decepti fuisse ponentes formas actu, idest, simpliciter praeexistere in materia, ex qua educerentur, sicut pisces e lacu. At formae materiales, tam in operibus naturae quam artis, praeexistunt quidem in materia, at non in actu, sed tantummodo in potentia e qua per actionem agentis educuntur. — Errabant etiam secundae classis philosophi, putantes formas huiusmodi esse res subsistentes, ideoque eisdem convenire creari, cum revera subsistentes non sint. Atqui, creari est proprie compositorum et subsistentium, ut dictum est supra [1]. Ergo non per creationem ex nihilo formae naturae et artis fiunt; sed fiunt tantummodo per accidens, seu per aliud, scilicet factis et productis compositis; seu, ut dicitur, educuntur de potentia in actum per actionem agentis proportionati [2].

5. — **Quomodo huiusmodi formae creaturae dicuntur.** — Ad intelligendum vero qua ratione huiusmodi formae non subsistentes creaturae dicuntur, recolenda venit supra posita distinctio [3], inter creaturam proprie, quae scilicet per creationem producitur, et creaturam communiter dictam, nempe pro eis quae in creaturis inveniuntur. Et quidem, ad hoc ut aliquid dicatur creatura, non semper necesse est

[1] Art. 4. — [2] Ad 1[m]. — [3] Art. praec., n. 9, III.

ut per creationem producatur; sed sufficit ut fiat ex aliquo quod sit per creationem productum: et hoc modo producuntur formae rerum naturalium et artificialium [1].

6. — **Quomodo producuntur formae substantiales rerum naturalium.** — Quia vero difficultas oriri potest ex eo quod, ad productionem formarum in rebus naturalibus, non videntur concurrere nisi formae accidentales, puta, planta producitur a planta parente per vim generativam, quae est virtus accidentalis, dum forma plantae generatae reducitur ad genus substantiae, unde haec debet ex alia causa superiori oriri, id est per creationem produci, — opportune recolitur, formas seu virtutes accidentales non esse productivas formarum substantialium, quasi propria virtute eas producant, secus effectus esset nobilior et prior quam causa; sed producunt eas virtute substantiae: sic forma plantae genitae producitur virtute formae plantae generantis, sicut etiam calor producit ignem virtute formae ignis generantis, quin sit opus recurrere ad creationem. Quapropter, agens naturale, quamvis agat per qualitates activas vel passivas, non solum facit sibi simile in qualitate, sed etiam secundum speciem: quod tamen non esset, si qualitates illae virtute propria agerent [2].

7. — **Productio formae in rebus artificialibus.** — In rebus autem artificialibus, puta in statua marmorea Mercurii, forma educitur de potentia marmoris secundum exemplar in mente artificis existens, virtute instrumentorum quibus artifex utitur: at non est dicenda forma artificiati superare virtutem sive artificis, sive instrumentorum, ita ut creari debeat, cum illa non sit nisi forma accidentalis.

8. — **Solvitur difficultas.** — Quae non sunt a simili sibi, non sunt a natura, sed per creationem. Atqui aliqua non sunt a simili sibi, ut patet in animalibus generatis per putrefactionem. Ergo eorum formarum est a natura, sed per creationem producta.

[1] Ad 4m. — [2] Ad 2m.

Resp. *Dist. mai.:* quae non sunt a simili sibi, nec secundum speciem, seu univoce, nec secundum analogiam, *conc.*; quod non sunt a simili sibi secundum speciem, sunt tamen secundum analogiam, *nego. Dist. min.:* non sunt a simili sibi secundum speciem, seu univoce, *trans.;* secundum analogiam, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Secundum doctrinam antiquorum, generata per putrefactionem sunt generata a simili sibi, non quidem secundum speciem, seu univoce, sed secundum analogiam, cum ponantur producta ab agente universali, quod est virtus caelestis, quae sufficit propter eorum imperfectionem, cum ista assimilentur huic virtuti tantummodo secundum analogiam, e contra, in generationibus animalium perfectorum est assimilatio secundum speciem, et ideo requiritur agens proprium et univocum. Quapropter, in productione animalium a putrefactione non est necesse ut recurratur ad creationem, sicut ad creationem non recurritur in productione animalium perfectorum [1].

Dicendum tamen, responsionem hanc dari a S. Thoma ex mente antiquorum, qui non valentes intelligere quo pacto animalia ista imperfecta oriantur ex putrefactione, recurrebant ad spontaneam eorumdem generationem in virtute solis, tanquam agentis analogici. At, cum ex hodiernis scientiarum adinventis, certo habeatur quod omne vivum sit ex ovo, secundum quod totus mundus praegnans est causis seu seminibus nascentium, hinc satis est ut dicantur inferiora ista viventia, non per creationem, sed ex propriis seminibus oriri [2].

[1] Ad 3[m]. — [2] De hoc argumento inferius sermo recurret, scilicet Quaest. LXVI, art. 2, nn. 4, seq.

QUAESTIO TERTIA.

(XLVI).

DE PRINCIPIO DURATIONIS RERUM CREATARUM.

Prologus.

1. — Ratio quaestionis. — Incompleta esset de prima rerum origine tractatio, nisi et quaestio de principio durationis earumdem agitaretur: quod quidem problema doctiorum virorum mentes agitare non destitit, ad quod etiam referri possunt verba illa Ecclesiastae [1]: *Cuncta fecit bona in tempore suo et mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem.* Revera, dum potest scientificus homo, ex sanae philosophiae principiis, tutam de prima omnium rerum causa, efficiente, materiali, exemplari et finali sententiam ferre, ubi de principio durationis earumdem rerum agitur, indiget ad revelationis depositum recurrere, ut grande problema resolvat, sitne mundus ab aeterno, an in temporis initio conditus. Ex quo apparet quantum ratio sit debitrix fidei quae illius dirigit et complet investigationes, nedum eius progressui adversetur: etenim sola fide scimus, et certo scimus, mundum non aeternaliter durasse, sed in tempore initium habuisse. — Ubi, cum de tempore atque de aeternitate sermo recurrat, recolenda illa erunt quae de hac re, duce S. Thoma, scripsimus in tractatu *de Deo Uno* [2].

2. — Ordo quaestionis. — Ut autem nihil huic tractationi desit, duo hic praestabimus: primo, disputabimus, hinc quidem de facto creationis in tempore, iuxta data fidei (1), illinc vero, de possibilitate creationis ab aeterno (2); se-

[1] III, 11, seq. — [2] Sc. Quaest. X, art. 1, nn. 1, seq., p. 232.

cundo, interpretationem dabimus, commentarii ad instar, priorum verborum Geneseos, quae ad rem referuntur (3).

Hinc, in hac quaestione, tria quaeruntur.

Primo. Utrum creaturae semper fuerint.

Secundo. Utrum eas incoepisse sit articulus fidei.

Tertio. Quomodo Deus dicatur in principio caelum et terram creasse.

Articulus I. — *Utrum universitas creaturarum semper fuerit.*

1. — Sententia dicentium mundum fuisse ab aeterno. — Mundum fuisse ab aeterno, a multis hodiernis pseudo-scientificis hominibus proclamatur, qui tamen ad hoc ponendum sola sensus sui vanitate seu vacuitate inducuntur. Qui quidem tanta laborant ignorantia, ut ne suspicentur quidem sententiam hanc, de mundi aeternitate, susceptam olim fuisse a philosophorum principe, Aristotele, in octavo libro *Physicorum*, qui tamen id non tanquam exploratam rem, sed academicorum more posuit, opinionem suam non demonstrativis seu apodicticis rationibus fulciens, id enim fieri nequit, sed dialecticis et solum secundum quid suasivis. Ad hoc vero ponendum inductus fuit Stagirita ob quasdam rationes antiquorum, vane conantium demonstrare impossibile fuisse quod mundus extiterit ab aeterno: unde problema istud inter ea de quibus rationes non habemus adnumeravit [1]. Praeterea, ubicumque de hac materia loquitur, inducit testimonia antiquorum, quod non est demonstratoris, sed probabiliter persuadentis.

2. — Ratio articuli. — Cum creatio mundi in tempore sit veritas de fide, non potest enim ratione naturali demontrari impossibilitas mundi ab aeterno, ut articulo secundo ostendetur, hinc non potest esse intentio praesentis articuli demonstrare ratione naturali mundum fuisse factum in tempore; sed hoc ex authenticis fidei documentis stabilito, satis erit hic demonstrasse, non necessario semper extitisse universitatem creaturarum.

[1] L. I Topic., c. 9.

3. — PROP. — **Non necessario semper exstitit universitas creaturarum.**

4. — **Sacra Scriptura.** — Imprimis, novitatem mundi Sacra Scriptura pluribus locis clare significat, puta ubi Christus, Patrem suum alloquens, ait [1]: *Clarifica me, tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui, antequam mundus esset, apud te;* et iterum [2]: *Dilexisti me ante constitutionem mundi.* Idipsum docet S. Paulus, cum dicit [3]: *Elegit nos... ante mundi constitutionem;* qui etiam dicit de Christo quod *ipse est ante omnes* [4]; et loquens de proposito et promissione Dei, declarat ea fuisse *ante tempora saecularia* [5]. S. Petrus quoque eamdem confirmat veritatem, cum dicit de Christo quod *praecognitus* (fuit) *ante mundi constitutionem* [6]. Quibus locis demonstratur Deum, in sua quidem aeternitate, immobiliter habuisse penes se rationes omnium possibilium, voluisse nihilominus aliquas res productas fuisse in tempore, quae sic inceperunt esse posteaquam non fuerant.

Eadem veritas aperte etiam significatur in Veteri Testamento, ut, puta, quando dicitur [7]: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio... Nondum erant abyssi et ego iam concepta eram; necdum fontes aquarum eruperant,* etc. Ex quibus verbis resultat assignari debere certam durationis periodum, qualiscumque ea demum sit, inter tempus praesens et primam mundi originem.

5. — **Auctoritas Ecclesiae.** — Porro, quod loci supra positi debeant intelligi in sensu litterali, et consequenter quod sit de fide divino-catholica, universitatem creaturarum, id est totum mundum, non semper extitisse, sed originem habuisse in determinato principio temporis, constat ex apertis definitionibus Ecclesiae. Sic, in Concilio Lateranensi IV, celebrato sub Innocentio III [8], expresse definitur quod Deus *sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem.* Defini-

[1] Io., XVII, 5. — [2] Ibid., 24. — [3] Eph., I, 4. — [4] Col., I, 17. — [5] Tit., I, 2. — [6] 1 Petr., I, 20. — [7] Prov., VIII, 22, seq. — [8] *Firmiter*, tit. de Sum. Trin. et Fide Cath.

tionem hanc resumpsit Concilium Vaticanum dicens [1]: *Deus liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam.* — Quapropter, cum Angelico Doctore, agnoscere debemus quod *solus Pater et Filius et Spiritus Sanctus est ab aeterno: hoc enim fides catholica indubitanter tenet, et omne contrarium est sicut haereticum refutandum* [2].

6. — **Ratio theol.** — Cum voluntas Dei sit causa rerum, eatenus res sunt necessariae, quatenus necessarium est eas Deum velle. Quapropter, si voluntas Dei eas non vult necessario, ipsae necessario non erunt, cum necessitas effectus ex necessitate causae dependeat. Atqui universitas creaturarum non est necessario volita a Deo: non enim necesse est Deum aliquid velle, nisi seipsum. Ergo universitas creaturarum non est necessario aeterna.

7. — **Corollarium.** — Quae cum ita sint, sequitur quod mundum semper fuisse non possit demonstrative ostendi, cum demonstratio sit tantum necessariorum: mundum autem fuisse ab aeterno, non est necessarium; et propterea rationes quae ab aliquibus, puta Aristotele, adductae sunt ad probandum mundi aeternitatem, dialecticae, non apodicticae dicendae sunt.

8. — **Quaestio.** — *Cur voluit Deus mundum potius in tempore, quam ab aeterno produci?*

Resp. Quia manifestius mundus ducit in cognitionem divinae potentiae creantis, si non semper fuit, quam si semper fuisset: omne enim quod non semper fuit, manifestum est habere causam; sed non ita manifestum est de eo quod semper fuit [3].

9. — **Difficultates.** — Quanti momenti sit eorum cavillationes refellere, qui mundi aeternitatem, contra fidei principia, proclamant, ostendit cura quam ponit Angelicus Doctor in eorum rationibus recensendis et refellendis: ubi usque

[1] Sess. III, — [2] 1, Quaest. LXI, art. 2. Ad 6[m]. — [3] 6 Ad 1[m].

decem argumenta, quem numerum vix unquam in tota Summa theologica reperire est, exponit et solvit. — Haec autem, claritatis simul et simplicitatis causa, ad quatuor capita hic reducemus: scilicet, primo exponentur argumenta ex parte ipsius mundi; secundo, ex parte motus; tertio, ex parte temporis; quarto, ex parte Dei.

10. — Argumenta ex parte ipsius mundi. — α) Primo loco, argui potest quod mundus, antequam esset, erat in potentia: quae potentia fundatur in materia, quae tamen esse nequit sine actu: ergo antequam, per hypothesim, ponatur productus, fuit. — Cui respondetur, mundum, antequam ponatur productus, fuisse possibilem per potentiam activam, scilicet ex parte Dei, non autem per potentiam passivam, quae fundatur in materia: aut etiam possibilem fuisse per potentiam logicam, quae simplicem terminorum non repugnantiam dicit, et opponitur impossibili simpliciter, non autem per potentiam physicam.

β) Arguunt, secundo, angelos saltem semper existere debuisse, cum sint incorruptibiles, incorruptibilia autem non possint non esse. — At, verum quidem est, incorruptibilia, et signanter angelos, non posse non esse postquam fuerint, quatenus ab intrinseco non habent unde possint desinere esse: non est tamen necesse ut dicatur eos a parte ante semper extitisse, cum ex virtute Dei habeant ut sint [1].

γ) Nec maioris momenti est quod obiicitur, materiam videlicet dici ingenitam: hoc enim verum est, si agatur de generatione modo naturali: mundus autem non incepit esse per motum, sed per creationem, ut dictum est [2].

δ) Denique, facile solvitur et alia difficultas, deprompta ex vacuo quod esse debuisset ante mundi existentiam, cum tamen repugnet vacuum esse: etenim ad vacuum habendum, requirit ut sit spatium corporis capax, in quo non sit corpus: ante mundum vero, nullum erat spatium, nullum ergo vacuum [3].

11. — II. Argumentum ex parte motus. — Rursus obiiciunt, ex parte motus, quod, ex quo movens et mobile in-

[1] Ad 2m. — [2] Ad 3m. — [3] Ad 4m.

ceperunt se habuerunt aliter nunc et prius, hoc fuit per motum; unde ante quemlibet motum de novo incipientem, necesse esse ponere alium motum, et ita porro. — At contra, dicendum, motum non incepisse ante mobile; mobile autem primo non incepisse per mutationem, sed per creationem; at, ex quo mobilia inceperunt, incepit motus [1].

12. — **III. Argumenta ex parte temporis.** — Ex parte temporis, dicunt. α) omne agens, in inducenda aliqua mutatione, aliquid supponere, ad minus ex parte temporis, et sic tempus semper fuisse, et consequenter motum et mobile. — At, hoc quidem verum est de agente particulari, quod oportet ut materiam et tempus supponat, ut possit inducere formam secundum proportionem ad debitam materiam; et consequenter in eo consideratur quod agit in tempore posteriori, et non in priori, secundum imaginationem temporis post tempus. At vero, agens universale producit rem et tempus rei conveniens, ideoque tempus non praesupponitur eius actioni, sed dedit effectui suo tempus quantum voluit et secundum quod conveniens fuit ad suam potentiam demonstrandam. Magna quidem Dei potentia, cui tempus obedit ad nutum!

β) Obiciunt quoque quod, cum nihil sit ipsius temporis, nisi nunc, quod est finis praeteriti et principium futuri, oportet ut tempus semper sit in principio et in fine, et sic non potest incipere, nec desinere esse, et similiter motus et mobile, cuius tempus est mensura. — Cui tamen facile respondetur, id verum esse supposito quod est probandum, nempe quod tempus semper fuerit: quod si, ut res habetur, tempus inceperit, tunc datur unum nunc in tempore, quod est tantum principium [2].

γ) Adduut quod, sicut dicitur Deus duratione prior mundo, prius autem et posterius designant tempus, ergo ante mundum fuit tempus et consequenter motus et mobile. — At sedulo distinguendum est duplex tempus, scilicet reale et imaginarium, sicut duplex datur locus, realis et imaginarius: sic, cum dicimus supra caelum nihil esse, ly *supra* non de-

[1] Ad. 5[m]. — [2] Ad 6[m].

signat locum realem, sed imaginarium. Et similiter, cum dicimus Deum esse prius mundo duratione, ly *prius* designat tempus non reale, sed imaginarium [1].

13. — IV. Argumentum ex parte Dei. — Arguunt quod, cum Deus sit causa perfectissima mundi, ipse autem et eius actio sint aeterna, ideo mundus debet poni factus ab aeterno. — At, non advertunt isti, agentia esse in duplici differentia: quaedam enim agunt naturaliter, quaedam vero voluntarie. Porro, conveniunt ista duo agentium genera in hoc, quod utrumque agit per aliquam formam, ignis enim agit per calorem, et artifex per formam rei artificiatae, quam praeconcipit et definit in mente sua; differunt autem in hoc quod forma, qua agens naturale agit, est principium actionis secundum esse suum naturale; forma vero, quae est principium actionis in agente per voluntatem, non est principium actionis, secundum quod habet esse, sed secundum quod est cognita et praeconcepta ab eo. Quapropter, posita priori forma, statim sequitur actio, nisi agens sit imperfectum aut impeditum; sicut posito igne, statim sequitur calefactio; posita autem altera forma, non statim necessario sequitur actio, sicut posita idea domus in mente artificis, non statim sequitur actio factiva domus, sed sequitur quod praedefinitum est ab artificis voluntate.

Dicendum igitur quod, posita causa, non naturaliter, sed voluntarie agente, effectus non sequitur, nisi quando et quo modo est per agentis voluntatem praedefinitum. Porro, Deus est causa voluntaria productiva mundi; propterea non semper cum ipso fuit mundus, sed tunc quando et quo modo a sua voluntate fuit praedefinitum: quae praedefinitio fuit, ut mundus haberet esse post non esse, quo suum auctorem manifestius declararet [2]. Et similiter dicendum est de actione Dei. Nimirum, licet Deus et sua actio sit aeterna, non tamen sequitur effectus aeternus, sed qualis Deus voluerit, et quantum ad tempus, et quantum ad modum producendi [3].

[1] Ad 8m. — [2] Ad 9m. — [3] Ad 10m.

ARTICULUS II. — *Utrum mundum incoepisse sit articulus fidei.*

1. — Ratio articuli. — Cum iam definitum maneat, mundum creatum fuisse in determinato temporis initio, iam quaerendum est utrum, saltem ita creari potuerit, ut initio caruerit, seu, ut dici solet, ab aeterno; an, quemadmodum duratio infinita, utique tempore non mensuranda, praecessit diluculum primi diei huius mundi, ita creatura, absolute loquendo, sic fieri potuerit, ut durationis suae exordium in tempore non habuerit, sed fuerit, ut ita loquar, Deo coaeva.

Utique mundum hunc aut semper aut etiam aliquando fuisse, necessarium omnino non est: esse enim mundi ex voluntate Dei dependet sicut ex sua causa; necessitas autem effectus ex necessitate causae resultat, sic enim aliquod necesse est esse, sicut necesse est Deum velle illud; Deum vero non est necesse velle aliquid, nisi seipsum. Ergo non est necessarium Deum velle quod mundus semper, aut etiam aliquando fuerit; sed eatenus mundus est, quatenus Deus vult illum esse. At, potuitne Deus velle ut mundus semper esset?

En problema quod, adiuvante Domino, nunc enucleandum, duce S. Thoma, suscipimus, non quasi rem novam manifestare velimus, sed potius tanquam veritatis studiosi inquisitores. *Oportet*, cum S. Augustino dicimus [1], *et donabit Deus, ut aliis ministrando quae legant, ipse quoque proficiam: et eis respondere quaerentibus, ipse quoque inveniam quod quaerebant.* — In quo id sat mirandum occurrit, nempe Angelico Doctori, qui a magistri sui Alberti Magni sententia hac in re discesserat, adhaerere Doctorem Subtilem, licet ab eodem Seraphicus Doctor discrepasse inveniatur [2].

[1] L. I de Trin., c. 5. — [2] In hoc argumentum peculiari studio incubuimus cum, anno 1901, specialem dissertationem in Academia Romana S. Thomae Aquinatis perlegimus, quae parvo volumine edita est sub titulo *De Aeternitate mundi* (Bibl. Rom. Eph. Analecta ecclesiastica, n. 12), cuius praecipua capita hic referuntur ad litteram.

2. — Nec contra revelationem, nec contra philosophiam hoc problema offendit. — Ubi vix necesse est ut advertamus, non hic agi de attribuenda rebus huius mundi aeternitate essentiali, imparticipata, perfecta, tota in actu, qualis est Dei ipsius aeternitas; multo minus quaestio est utrum aliquid possit ita per se ipsum existere, ut actione Dei creantis et conservantis non indigeat: hoc enim profiteri intolerabilis error esset [1]. — Revera, problema aeternae creationis optime agitari potest, quin offendatur sive contra immutabilitatem aeternitatis divinae, sive contra dogma creationis omnium rerum, licet plures, etiam summi viri, duas istas quaestiones confudisse videantur.

Etsi mundus semper fuerit, ait Angelicus Doctor [2], *non tamen parificaretur Deo in aeternitate, ut Boetius dicit; quia esse divinum esset esse totum simul absque successione: non autem sic est de mundo.* Et rursus [3]: *Si enim intelligatur quod aliquid praeter Deum potuerit semper fuisse, quasi possit esse aliquid aeternum praeter eum, ab eo non factum, error abominabilis est non solum in fide, sed etiam apud philosophos, qui confitentur et probant quod omne quod est quoquo modo, esse non possit, nisi causatum ab eo qui maxime et verissime habet esse* [4].

3. — Reprobantur sententiae Card. Gerdil, Bonomelli et Vigouroux. — Hinc apparet in ambiguo lusisse Card. Gerdil, dum, scribebat [5]: *Se esiste qualche cosa fin dall'eternità,*

[1] Ad 1m. — [2] Ad 5m. — [3] In Opusc. *De Aetern. mundi contra murmurantes.* Opusc. XXIII in Ed. Parm. Scripsit Angelicus hoc opusculum, ut eorum sedaret murmurationes, quos doctrina a se propugnata de possibilitate aeternae creationis in scandalum adduxerat. — [4] Quam facilis res sit conceptum de aeterno imparticipato et absoluto confundere cum aeterno participato et relativo, manifeste patet ex sequenti loco quem in illustri quodam auctore legimus: *L'eternità altro non essendo che permanenza perfetta ed assoluta dell'essere, non solo nella durata, ma in tutte le ragioni ed attributi della sua essenza, la materia ab eterno esistente esser doveva al pari di Dio, indipendente da ogni aliena influenza, e godere di per sè stessa di tutti gli attributi che le son propri.* Eugenio Alberi, *Il problema dell'Uman Destino.* p. 7. Venezia. 1879. — [5] In opuscolo quod inscripsit: *Saggio di una dimostrazione matematica contro l'esistenza eterna della materia e del moto.* Opp. Vol. II, pag. 287.

siccome siam tenuti di riconoscere, bisogna che l'essere eterno, di cui l'esistenza è necessaria, sia un essere immutabile ad ogni riguardo, e per conseguenza, sommamente perfetto. — Similia habet Ieremias Bonomelli [1]: *E questo universo visibile e invisibile non poteva essere anch'esso eterno, eternamente al lato di lui, che lo ordinava? No. Due Eterni, due Infiniti, l'uno affatto diverso dall'altro, l'uno materiale, mutabile, l'altro immateriale e immutabile, è il massimo degli assurdi: ciò che è eterno, è da sè, ha durata infinita, è assolutamente autonomo, deve aver tutte le perfezioni e l'universo non è tale.* — Utique, necesse est illud quod est aeternum *essentialiter*, imo quod est ipsa aeternitas imparticipata, perfectissimum esse et immutabile, non autem illud, si tale quid detur, quod ita dicatur aeternum, ut principio quidem et fine careat, sed sit quid creatum: quandoquidem aeternitas veri nominis et imparticipata non est tantummodo vita interminabilis, sed *interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio.* — Nec magis probanda videtur F. Vigouroux argumentatio [2], qua ex eo quod omnis effectus principium habere debeat, impossibilitatem aeternae materiae infert. — Utique principium suae creationis, non autem suae durationis, materiam necessario habuisse, catholice tenendum est.

4. — Verba Boetii. — Boetii verba, quibus in superiori loco alludit Angelicus, sunt sequentia [3]: *Non recte quidam, cum audiunt visum Platoni mundum hunc nec habuisse initium temporis, nec habiturum esse defectum, hoc modo Conditori conditum mundum fieri coaeternum putant. Aliud enim est per interminabilem duci vitam, quod mundo Plato tribuit; aliud interminabilis vitae totam pariter complexum esse praesentiam, quod divinae mentis proprium esse manifestum est.*

5. — S. Augustini mens et sententia. — S. Augustinus quoque rectam huius problematis intelligentiam tradit, dum de Platonicis loquens, ait [4]: *Id quomodo intelligant, viderint non esse hoc videlicet temporis, sed substitutionis initium. Si-*

[1] In opere *Seguiam la ragione*. Conferen. VII, pag. 103, Milano, 1898. — [2] Manuale Biblico, Vol. I, pag. 550, n. 281, S. Pier d'Arena, 1894. — [3] Cap. ult. de Consol. Phil. — [4] L. X de Civ. Dei, c. 31.

cut enim, inquiunt, si pes semper ex aeternitate fuisset in pulvere, semper ei subesset vestigium, quod tamen vestigium ex calcante factum nemo dubitaret: nec alterum altero prius esset, quamvis alterum ab altero factum esset: sic, inquiunt, et mundus et dii in illo creati semper fuerunt, semper existente eo qui fecit; et tamen facti sunt.

Quod si idem Hipponensis Doctor huic Platonicorum sententiae de mundi aeternitate refragatur, hoc non ideo est, quia illos censeat hac sententia excludere quod res a Deo fuerint creatae; sed aliis rationibus contra eos procedit, tacite concedens hac explicatione fatalitatis cuiusdam necessitatem a Deo satis removeri; addit enim [1]: *Qui autem a Deo quidem factum mundum fatentur, non tamen eum temporis volunt habere, sed suae creationis initium, ut modo quodam vix intelligibili semper sit factus, dicunt quidem aliquid, unde sibi Deum videntur velut a fortuita temeritate defendere.*

Rursus, in sententia de aeterna creatione, satis salvari discrimen formale inter hanc rerum mundanarum aeternitatem et aeternitatem Dei, aperit idem Augustinus, dum addit [2]: *Tempus, quoniam mutabiliter transcurrit, aeternitati immutabili non potest esse coaeternum. Ac per hoc etiam si immortalitas angelorum non transit in tempore, nec praeterita est quasi iam non sit, nec futura quasi nondum sit, tamen eorum motus, quibus tempora peraguntur, de futuro in praeteritum transeunt. Et ideo Creatori, in cuius motu dicendum non est, vel fuisse quod iam non sit, vel futurum esse quod nondum sit, coaeterni esse non possunt.* Quibus cohaerenter subdit [3]: *Quia omnino immutabilis est illa natura Trinitatis, ob hoc ita aeterna est, ut ei aliquid coaeternum esse non possit.*

Rationem autem cur, quidquid de rerum aeterna creatione decernatur, semper manere debeat formalis differentia inter illarum aeternitatem et aeternitatem Dei, eleganter reddit Damascenus, quum ait [4]: *Non aptum natum est quod ex non ente esse deducitur, coaeternum esse ei quod sine principio et semper est.*

[1] Ibid. l. XI, c. 4. — [2] Ibid. l. XII. c. 15. — [3] L. VIII Sup. Gen. ad litt. — [4] L. I Orthod. fid., c. 8.

6. — Quaestio est universaliter de aliqua creatura. — Sed et hoc advertisse non pigebit, videlicet nos, cum quaerimus utrum mundus ab aeterno esse potuerit, non de hac vel illa speciali creatura agere; sed universaliter investigare velle utrum *aliqua* creatura, quaecumque demum ista sit, ab aeterno fieri potuerit: nam de aliquibus creaturis inconveniens quoddam, ut infra ostendetur, evidenter habetur, puta, si generationes hominum infinitae praecessissent, quoniam anima humana immortalis est, multitudo infinita animarum actu esse deberet, quod esse non potest, cum infinitum actu in multitudine repugnet [1].

Quocirca, praesentis quaestionis sensus est utrum aliqua, quaecumque haec sit, creatura ita esse potuerit, ut initium quidem habens ex Deo, non in tempore initium duxerit, sed aeternitati Dei, utique ab ea distincta formaliter manens, coexistat: quo in casu, fuisset quidem ista creatura facta a Deo *ex* nihilo, non quod facta sit *post* nihilum, sicut modo intelligimus creationem rerum factam, sed quia *non* esset facta *de* aliquo [2].

7. — Haec quaestio ad experimentalem scientiam minime pertinet. — Denique, praetereundum non est, quaestionem hanc non ad experimentales disciplinas pertinere, sed proprie ad rationalem scientiam: non enim hic tantum respicitur ens prouti mobilitati subiicitur, sed ipsa rei, ut res est, intima ratio perpenditur; unde S. Doctor dicit [3], quod in hoc *tota consistit quaestio, utrum esse creatum a Deo secundum totam substantiam, et non habere durationis principium, repugnent ad invicem, vel non.* Et antea dixerat [4]: *Si autem non est repugnantia intellectuum, non solum* (non) [5] *est falsum* (mundum potuisse esse ab aeterno), *sed etiam est impossibile aliter esse, et erroneum si aliter dicatur.* Quapropter, ii a vero longe aberrare dicendi sunt, qui quaestionem hanc argumentis solummodo physicis dirimi volunt.

Revera, sunt auctores, qui mundi novitatem ex genuina

[1] Ad 8m. — [2] Ad 2m. — [3] In Opusc. *de Aetern. mundi.* — [4] Ibid. — [5] Suppleri evidenter debet haec particula, quae in editionibus communiter desideratur.

populorum historia demonstrare contendunt, in medium adducentes descriptionem Moysis de exordio mundi humanitus consideratam, cui dicunt suffragari constantem iudaici populi traditionem. Adducunt quoque Diogenem Laërtium et Diodorum Siculum de Aegyptiorum traditionibus; historias Phoenicum, Chaldaeorum, aliorumque populorum orientalium, qui quantumcumque antiquam traditionem adstruere nitantur, ut Sinenses qui de propria origine narrationes fabulosas protendunt, aliquam tamen suae gentis originem agnoscere coguntur.

Sed, si bene attendatur, huiusmodi argumentum omni prorsus valore carere videbitur, quia quod mundus ortum in tempore habuerit, non potest esse cognoscibile per experientiam, nisi illi qui tunc adfuerit, nullus autem praeter Deum tunc aderat, et si sit sermo de universo materiali, nullus, praeter Deum et angelos hoc factum cernere potuit. Unde cum factum istud non fuerit sensui pervium, ideo nec potest esse materia humanae historiae, quae factis innititur sensibus perviis: insufficiens igitur est argumentum ex humana auctoritate depromptum, ad quaestionem de mundi aeternitate aut novitate dirimendam.

Sed nec valent argumenta intrinseca, scilicet ex geologia et astronomia deprompta: siquidem, licet ex hisce scientiis nihil pro aeternitate materiae mundi possit certo concludi, ex adverso tamen nec aliquid contra eius aeternitatem adstrui valet.

Ex indiciis vero quibus hominis in mundo antiquitatem deducere possumus, scilicet ex signis et progressu industriae et perfectione suorum instrumentorum, ex quibus eruditi archaeologiae praehistoricae aetates distinguunt in *lapideam*, *aeream* et *ferream*, lapideam vero rursus in palaeolithicam et coenolithicam subdistinguunt, evidenter eruitur, nonnisi aetate relative recenti hominem in terra apparuisse, ita ut qui liberaliores, facti veritati innixi, esse volunt, antiquitatem decem millibus annis maiorem homini non esse attribuendam ultro decernant. Quinimmo ex ossibus humanis, quae in stratis terrae inveniuntur, satis manifeste ostenditur hominem esse recentem creaturam super terram, immo ceteris animantibus recentiorem.

Attamen ratio ista particularis est: non enim afficit aut existentiam substantiarum separatarum quas angelos dicimus, aut existentiam cuiuscumque materiae mundanae, puta, cuiusdam rudimentalis substantiae, in statu quodam aëriformi seu gasseo, qualem fuisse primordialem mundi materiam recentiores post Laplace adstruunt. Quocirca ad rem, circa quam versamur, conficiendam, principia ducenda sunt ex scientia omni experimento superiori, ideoque imaginationi, quantum possibile est, valedicendum.

8. — Philosophorum, qui Aristoteli praeiverunt, varia opinamenta. — Porro, si quis Angelici Doctoris, cuius vestigia amplectimur, mentem hac in quaestione assequi voluerit, eum imprimis cognoscere necesse est quibusnam ille principiis ductus fuerit, qua ratione in hac disquisitione processerit, necnon quo eum suae investigationes perduxerint.

Notum est S. Thomam, in iis quae ad res philosophicas pertinent, Aristotelis doctrinae ita constanter inhaesisse, ut illius potissimus commentator extiterit, duriori disrupto cortice, quo ille profundam veritatem obtegerat, necnon praestito iis, quos veritatis fames occupat, saniori uberiorique pabulo. At Aristoteles, in octavo libro Physicorum, aeternitatem mundi docuerat, aeternitatem motus, et consequenter aeternitatem temporis.

Huic sententiae opponebatur quidem doctrina Sanctorum Librorum necnon Ecclesiae Catholicae; at hoc Aristoteli, revelatione carenti, vitio verti nequaquam debere rite duxit Angelicus: imo, Stagyrae philosophum, si in tota quidem anthropologia naturaliter christianum se exhibuisse noverat, hic quoque, licet falsum esset assumptum, eum tamquam christianae doctrinae defensorem deprehendit.

Nam philosophos qui ante se praecesserant, Aristoteles invenerat cum philosophica veritate pugnantes et inter se valde discordes. Democritus enim, cum finxisset mundum compositum esse ex corpusculis indivisibilibus, sive ex atomis sensui minime perviis, ab omni efficiente causa independentibus, et in iugi motu constitutis, quanquam concedebat eamdem mundum, ex harum atomorum fortuito concursu, casu

factum fuisse ideoque aeternum non esse et aliquando desiturum, ultro tamen agnoscebat motus aeternitatem.

Anaxagoras vero et Empedocles hanc improductionem et aeternitatem motus respuerant, nec tamen in admittenda motus novitate eodem modo uterque ratiocinabatur.

Anaxagoras enim posuerat omnia in principio confusa et mixta fuisse, infinitisque temporibus in statu quodam quietis et inertiae mansisse, quousque intellectus separatus massam hanc informem a mortis somno propria energia excitasset, entia distinxisset, eaque in mundi theatro collocasset, quin unquam hanc distinctionem conservare, reditumque ad chaos primitivum impedire desineret. At, arguebat Anaxagoras [1], confundens intellectum divinum cum intellectu humano qui deliberando investigat quid agendum sit, omne quod operatur per intellectum, a quodam principio operatur, et sic incipit operari postquam non erat operatum, sicut quando aliquid incipit moveri postquam quieverat. Deus autem, a quo haec entium distinctio facta fuerat, est agens per intellectum. Ergo a quodam principio operatur, et sic mundus, qui est eius effectus, non fuit semper [2].

Empedocles vero ponebat motum habuisse quidem principium sed principium relativum, quia scilicet sibi successerant, per infinitam circulationem, infinitis vicibus, quies et motus, sicut etiam infinitis vicibus locum habuerant status confusionis et status distinctionis rerum, secundum quod dominabatur unum principium aut eius contrarium: scilicet lis aut amicitia, aut viceversa. Manifeste autem apparet quasdam artes, necnon regionum habitationes ex determinatis temporibus incoepisse, quod non esset, si mundus semper extitisset: unde concludebat manifestum esse mundum non semper fuisse [3].

9. — Aristotelis animadversiones et sententia. — At acuta Aristotelis mens cito deprehendit haud posse huiusmodi opinamenta admitti: quandoquidem rationes ab istis philosophis adductas omni prorsus fundamento carere videbat. Siquidem, Anaxagorae facile responderi potest, non in-

[1] Apud ARIST., l. III, Physic. — [2] Ad 3[m]. — [3] Ad 4[m].

digere intellectum divinum, sicut intellectum humanum, ut deliberando investiget, ideoque statim ac est, scire quid sit faciendum; contra Empedoclem vero, nullo negotio animadvertitur potuisse haberi aliquam regionem infinities mutatam de inhabitabili in habitabilem, et e converso; et similiter potuisse artes, propter diversas corruptiones et accidentia, infinities inveniri, et infinities corrumpi [1]: unde concludebat Arisoteles [2], ridiculum esse ex huiusmodi particularibus mutationibus, opinionem accipere de novitate totius mundi. Praeterea, animadvertebat ille, cum tempus sit numerus motus, repugnat dari tempus, quin aliquis motus etiam detur.

Ex altera vero parte, haud sufficientes videbantur Aristoteli Platonis rationes, quibus ille probare nitebatur tempus et motum de novo facta fuisse cum caelo; quapropter, contra Academicorum principem posuit Stagyrita mundum ab aeterno extitisse, quanquam principium sui habuerit eo quod nihil potest esse suimetipsius causa.

10. — Sancti Thomae ab Aristotelis sententia discrepantia. — At, quantumvis S. Thomas Aristotelem eiusque doctrinam summe veneraretur, catholicae tamen veritatis professione vetabatur quominus anceps haereret: siquidem, ut vidimus, divinae Scripturae et Conciliorum definitiones expresse continent, mundum initium sui in tempore habuisse.

Quapropter primo ostendit Aquinas [3], nullam fuisse necessitatem ut res semper existerent, eo quod effectus sunt ex causa liberrima, quae Deus est; tum aperte demonstrat Aristotelis rationibus minime probari aeternam rerum existentiam [4]; quinimmo, tanti magistri auctoritatem salvare cupiens, addit rationes huiusmodi, nonnisi tanquam argumenta dialectica a Philosopho fuisse adductas: sicut specialiter resultat ex iis quae habet in libro primo Topico-

[1] Loc. cit. — [2] L. I. Meteor., c. ult. — [3] Art. praec. — [4] Art. praes. Aristotelis rationes, quas postea Averroës commentatus est, principium minime petere, egregie demonstrat insignis philosophus ex Ord. Serv. B. M. V., Urbanus dictus Averroïsta, quod commentarios super Averroëm in VIII lib. Physic. Bononiae magno plausu tradiderit, circa a. 1334 (Cf. Cart. 256. Col. IV).

rum, cum dicit *quaedam esse problemata dialectica, de quibus rationes non habemus, ut, utrum mundus sit aeternus.*

Nec satis habuit Angelicus Doctor ostendere mundum ab aeterno non extitisse: sed, ut exigit scientifica methodus, quae non modo facta, verum etiam possibiles hypotheses rimatur, inquirere ex professo voluit utrum, salvo manente dogmate de novitate mundi, saltem fieri posset ut mundus ab aeterno, utique a Deo creatus, extiterit; id est, utrum duo isti conceptus, *mundus* et *aeternitas*, compatibiles sint, an repugnantiam involvant: illud enim impossibile est esse, quod in terminis contradictionem importat.

11. — **Docet S. Thomas, non solum demonstrari non posse impossibilitatem creationis ab aeterno, sed etiam hanc possibilem fuisse.** — Hic autem advertere oportet modum quo S. Thomas quaestionem hanc sibi proponit, ne circa illius mentem aequivocatio incidat. — Igitur, quaerens utrum mundum incoepisse sit articulus fidei, affirmative respondet, aequiparans hanc veritatem veritati SS.mae Trinitatis: *Mundum non semper fuisse sola fide tenetur, et demonstrative probari non potest, sicut et supra de mysterio Trinitatis dictum est.* Ex quibus verbis sponte deducitur quod, sicut non potest demonstrari sola ratione quod Deus est trinus, ita sola ratione demonstrari nequit quod mundus incoeperit. Est tamen distinctio, quia non-demonstrabilitas, seu non-scibilitas aut credibilitas mysterii SS.mae Trinitatis est de fide: non-demonstrabilitas autem novitatis mundi de fide non est, licet sit philosophice certa.

At, dicet quispiam, aliud est quaerere utrum novitas mundi sit demonstrabilis, et aliud quaerere utrum mundum fuisse ab aeterno sit possibile; et consequenter aliud est resolvere non esse demonstrabile quod mundus ab aeterno esse non potuerit, et aliud mundum ab aeterno esse potuisse; sanctum Thomam autem primum, non autem secundum, in praefato loco posuisse. Ex quo aliqui inducti sunt ad putandum S. Thomam sic debere intelligi, quasi adversarius esset tantummodo demonstrationis repugnantiae mundi ab aeterno, non autem quasi propugnaret possibilitatem mundi ab aeterno.

Sed si quis bene advertat, utrumque Angelicus Doctor comprehendit, tum in proposita quaestione, tum in illius resolutione: scilicet, non solum non posse demonstrari impossibile esse quod mundus fuerit ab aeterno, sed etiam possibile revera fuisse quod mundus ab aeterno extiterit.

Nam, ex eo quod res aliqua non sit demonstrabilis, potest optime inferri eius oppositum esse possibile, dummodo huius rei natura cognoscatur. Ex eo enim quod rei alicuius naturam cognoscimus, a priori ratiocinamur circa illius quidditatem; hinc, ex eo quod demonstramus aliquam proprietatem ipsi necessariam non esse, inferre possumus eius oppositam esse possibilem. Sic, ex eo quod demonstramus non esse necessarium ferro esse nigrum, inferre possum illud esse posse rubrum, ut quando, verbi gratia, ab igne caletit; aut, ut ad altiora principia rem revocemus, ex eo quod, supposita Trinitatis revelatione, demonstramus non esse impossibile Deum subsistere in tribus personis, rite inferimus possibile esse revera, Deum sic in tribus personis subsistere.

Unde S. Thomas non solum intendit probare novitatem mundi non esse demonstrabilem, sed etiam possibile fuisse ut mundus semper existeret: quod etiam ex hoc probatur, quod in articuli decursu, necnon in difficultatum expositione et solutione, relicta, ut ita dicam, quaestione de demonstrabilitate novitatis mundi, transit ad quaestionem de possibilitate aeternitatis illius, ut patet, verbi gratia, ex hoc [1]: *Non est impossibile quod homo generetur ab homine in infinitum;* et antea [2] dixerat quod *non est necessarium Deum velle quod mundus fuerit semper;* et: *Non est necessarium mundum semper esse,* quibus propositionibus aequivalent istae: *Possibile est Deum velle quod mundus semper fuerit;* et: *Possibile est mundum semper esse et semper non esse.*

12. — Ausonii Franchi sententia reprehenditur. — Ex hoc apparet, minus recte locutum fuisse Ausonium Franchi, cum dixit S. Thomam quaestionem de possibilitate aut impossibilitate creationis ab aeterno habuisse tanquam quaestionem academicam, aut adiaphoram seu indifferentem [3]. Iuxta An-

[1] Ad 7[m]. — [2] Art. 1. — [3] *Se... S. Tommaso si fosse trovato in mezzo a scuole ove signoreggia... una pretesa scienza, ...la possibilità*

gelicum Doctorem, non possibilitas aut impossibilitas aeternae creationis est problema neutrum, aut, ut dicit citatus auctor, indifferenter resolvibile uno alterove modo, sed factum ipsum creationis ab aeterno, quod, iuxta philosophiae principia, vel affirmative vel negative resolvi potest, et quod, ut actu uno modo resolvatur, fidei documentis indiget. Unde etiam minus recte adiungit laudatus auctor quod si, S. Thomae tempore, divulgata fuissent systemata quae hodiedum in scholis obtinent, non tanquam insolubilem illam quaestionem habuisset, sed eam diremisset [1]: sane Angelicus utramque quaestionem abunde diremisse dicendus est: quaestionem quidem de facto temporaneae creationis, adductis fidei documentis; quaestionem autem de possibilitate aeternae creationis, rationibus infra subiiciendis.

Confirmatur autem, S. Thomam quaestionem de possibilitate aeternae creationis, et non tantum de non-demonstrabilitate impossibilitatis illius, prae oculis habuisse, ex iis quae in Opuscolo *de Concordantiis* [2] legitur. Ibi siquidem, proposita quaestione: *Utrum mundum esse perpetuum sit problema neutrum*, dicitur [3] S. Thomam, tum in Commentario suo in secundum Sententiarum librum, tum in Summis philosophica et theologica, docuisse neutram partem habere pro se rationes necessarias; unde non ipsa possibilitas creationis ab aeterno est pro Angelico problema philosophice neutrum, sed factum ipsum talis creationis: ex quo demum de-

---

o impossibilità della creazione ab aeterno non gli sarebbe più apparsa come una questione, come suol dirsi, accademica, cioè indifferente a risolversi in un senso o nell'altro (Ultima Critica, Milano 1889, p. 473).

[1] *Nè sarebbe forse temerità il congetturare che se nel secolo XIII fossero stati in voga quei sistemi che regnano nel secolo XIX, S. Tommaso non avrebbe tenuta la questione per insolubile, ma l'avrebbe anch'egli decisa* (Ivi). — [2] Opusculum istud (LXV in Edit. Parm.), in quo ad trutinam revocantur priora Angelici dicta, et loca apparenter contraria conciliantur, imo aliqua minus recte dicta retractantur, est inter dubia S. Thomae opera; quinimmo satis evidenter ostendunt eruditi, ad illum minime pertinere; at hoc proposito nostro non officit, cui satis est, quantum ad hunc locum attinet, ut aperiatur quid, etiam ex aliorum sententia, S. Thomas hac in re tenuerit. — [3] Num. pen.

ducitur mundum, sicut actu creatus est in tempore, ita potuisse ab aeternitate creari.

Quae quum ita circa Angelici Doctoris mentem constiterint, iam ex eodem ostendendum est, creationem ab aeterno repugnantiam non involvere, ideoque tanquam possibilem esse admittendam.

13. — PROP. — **Creatio ab aeterno fuit possibilis.**

14. — **Prob.** — Si qua repugnantia adesset inter conceptum mundi, et conceptum durationis infinitae, haec esse non posset, nisi ex uno istorum duorum capitum: scilicet, vel ex parte rei ipsius, vel ex parte illius causae, nempe Dei. — Ubi sufficiens est partium enumeratio; quia, ut advertit Caietanus [1], cum mundus significet rerum universitatem, et extra universum aliud non sit, nisi illius caput, consequenter non datur locus demonstrationi *quia*, ad deducendam mundi novitatem.

Quocirca, exclusa repugnantia ex parte quidditatis mundi, necnon ex parte illius causae, sequitur non esse impossibile mundum ab aeterno fuisse.

Ubi adverti debet demonstrationis vim magis in primo, quam in secundo capite consistere: nam ex eo quod res aliqua non repugnat in terminis, potest utique inferri Deum illam facere posse; unde, in Opusculo de *Aeternitate mundi*, S. Thomas praetermittit difficultatem ex parte potentiae Dei: *Omnes consentiunt in hoc, quod Deus potuit facere aliquid quod semper fuerit, considerando potentiam eius infinitam*; et in Opusculo *de Concordantiis* dicitur: *Ex repugnantia intellectuum est potissima demonstratio ducens ad impossibile.*

Iamvero ex neutro capite potest ista repugnantia ostendi. Primo, non ex parte quidditatis rerum; nam omnis res, secundum rationem suae speciei, praescindit ab hic et nunc; unde dici solet quod universalia sunt ubique et semper. — Notat autem opportune Caietanus, *quod quid est* uniuscuiusque rei creatae non posse esse medium sufficiens ad probandam eius novitatem; nam *quod quid est* est indifferens τῷ hic et nunc, novitas autem continet temporis differentiam.

[1] In h. l.

Sed nec ex parte Dei praedicta repugnantia potest ostendi. Nam voluntas Dei non potest investigari, nisi circa illas res quas Deus de necessitate voluit. Deus autem non potuit aliquid velle de necessitate circa res creatas.

Quapropter S. Thomas fidenter concludit, demonstrari non posse quod homo [1], aut caelum, aut lapis non semper fuerit; et quia divinae revelationis lumen potissime nobis communicatur propter illas veritates quae formaliter cognoscibiles non sunt solis humanae rationis viribus, hinc sequitur mundi novitatem esse proprie et formaliter veritatem fidei; *unde mundum incoepisse est credibile, non autem demonstrabile, vel scibile.*

15. — Probatur ex propria agentis infiniti ratione. — Praestat hanc eamdem veritatem ex propria agentis infiniti, non univoci, sed analogi, qualis Deus est, ratione repetere.

Aliquid ex principio existens, ait Angelicus [2], *posterius esse suo principio potest contingere ex duobus: uno modo, ex parte agentis, alio modo ex parte actionis. Primo ex parte agentis quidem, aliter in agentibus voluntariis, aliter in agentibus naturalibus. In agentibus quidem voluntariis, propter electionem temporis: sicut enim in agentis voluntarii potestate est eligere formam, quam effectui conferat, ut supra dictum est* [3], *ita in eius potestate est eligere tempus in quo effectus producat. In agentibus autem naturalibus hoc contingit, quia agens aliquod non a principio habet perfectionem virtutis naturalis ad agendum, sed ei advenit post aliquod tempus; sicut homo non a principio generare potest. Secundo, ex parte actionis, impeditur ne id quod est a principio, simul sit cum suo principio, propter hoc quod actio est successiva. Unde dato quod aliquod agens tali actione agere inciperet statim cum est, non statim in eodem instanti esset effectus, sed in instanti ad quod terminatur actio.* In mundi autem creatione Deus non est agens naturale, sed voluntarium, cui non est necesse ut tempus eligat, in quo effectum producat; actio autem eius successiva non est, sed in istanti producit effectum.

[1] Quid tamen de homine sentiendum sit, inferius declarabitur. — [2] 1, Quaest. XLII, art. 2. — [3] Ibid., Quaest. XLI, art. 2.

Ad cuius rei uberiorem intelligentiam, necesse est distinguere inter agens univocum et agens non univocum. De ratione agentis univoci est ut manifestet totam suam potentiam in effectus productione, sicut animal non potest per potentiam generativam producere aliquid maius vel minus quam animal; de ratione vero agentis non univoci est, e contra, ut non manifestet totam suam potentiam in effectuum suorum productione, sicut solis potentia non tota manifestatur in productione alicuius plantae. Atqui omne quidem corpus movens est agens univocum; movet enim aliud corpus; aliunde novimus quod quanto maior est potentia corporis moventis, tanto velocius movet: unde si alicuius corporis moventis potentia poneretur infinita, necesse esset quod moveret improportionabiliter citius, quod est movere in non tempore, quod profecto repugnat, cum praecise tempus sit numerus motus: unde et repugnat quod aliquod corpus sit infinitum [1].

At vero movens incorporeum, quod est agens non univocum non potest quidem movere in non tempore, cum praecise numerus vel mensura motus sit tempus; sed si quidem sit infinitae potentiae, poterit movere in tempore infinito, Deus vero est agens incorporeum infinitae potentiae. Ergo Deus potest movere res mundanas in tempore infinito, id est in tempore quod nec initium nec finem habeat, quod est ab aeterno [2].

16. — Ab indirecto res comprobatur. — Ab indirecto quoque potest res ista comprobari. Sane, si mundum ab aeterno fuisse esset impossibile, hoc ideo foret, *a*) vel quia oportet quod causa agens praecedat duratione suum effectum, *b*) vel quia est necesse quod non-esse praecedat esse duratione. Atqui neutrum dici potest.

Revera, *a*) quia Deus est producens effectum suum, non per motum, sed subito, ideo non necessario praecedit effectum suum duratione, sicut sol, quandocumque est, facit illuminationem; imo multo magis potest Deus statim effectum suum producere, non enim producit rem educendo for-

[1] L. VIII, Physic. t. 29. — [2] Cf. 1, Quaest. XXV, art. 2, ad 3^{m}.

mam de potentia materiae, sed totam rei substantiam producit: unde facere potest ut causatum sit quandocumque ipse est, multo magis quam sol ipse faciat illuminationem quandocumque est.

Re quidem vera, in quolibet instanti ponitur res esse, potest poni principium actionis eius, sicut in quolibet instanti ponitur ignis, poni potest calefactio. Sed in operatione quae est sine motu, idem est principium actionis ac terminus eius quod quidem in omnibus indivisibilibus verificatur. Praeterea, terminus actionis est simul cum ipso facto: ergo non est necesse causam, quae sine motu operatur, praecedere duratione suum causatum [1]. Quod si Deus operans per naturam *debet* operari instantanee, operans per voluntatem *potest* operari instantanee: voluntas enim non minuit aliquid de virtute operantis.

Nec *b*) necessarium est, non-esse praecedere esse duratione, aut *nihil* duratione praecedere esse rei. Nam, quando dicimus creaturam factam ex nihilo, non intelligimus quod nihilum praecesserit, sed quod non sit aliquid unde sit facta. Quod si quis contendat mundum esse factum *post* nihilum, quia ex nihilo factum est, dicitur quod istud *post* denotat posterioritatem naturae, non autem necessario posterioritatem durationis: quia prius illud est natura in aliquo, quod ipsi convenit ex se, posterius autem quod ipsi convenit ex altero: atqui non esse convenit unicuique contingenti ex se, et esse convenit ipsi ex altero, id est ex incontingenti, seu ex eo quod necessarium est esse [2].

Ubi, quando dicimus mundum potuisse *semper* fieri a Deo, non sensus est quod in mundo semper fuerit potentia passiva ut esset: sic enim, licet angelus, verbi gratia, semper potuerit a Deo fieri, hoc tamen non fuit per potentiam passivam in angelo ut fieret, sed per potentiam activam in Deo ut faceret; unde, licet Deus semper potuerit angelum facere, non semper tamen habuit angelus potentiam passivam ut fieret.

17. Corollarium. — Ex his omnibus concludi debet, non modo non posse demonstrative deduci impossibile esse ut mundus ab aeterno creatus fuerit a Deo, verum etiam pos-

[1] Cf. ad 1m. — [2] Cf. ad 3m.

sibile fuisse ut de facto mundus ab aeterno crearetur, et ex liberrima Dei voluntate processisse quod fuerit in tempore creatus. Cum autem liberrima haec Dei voluntas ex sola revelatione nobis innotescat, hinc tenendum est factum creationis in tempore esse verum fidei nostrae dogma, non secus ac SS.mae Trinitatis mysterium ; ad quod ultimum, circa quod S. Thomas, in Summa theologica, quae fidei nostrae dogmata rimatur, apprime sollicitus fuit, deveniri non potest, nisi ostendatur simul, et demostrari non posse impossibilitatem aeternae creationis. et hanc revera impossibilem non esse.

Porro, cum hucusque ostenderimus creationem ab aeterno, sive ex parte rerum in genere, sive ex parte Dei, minime repugnare, modo deveniendum nobis est ad illas difficultates solvendas, ex quibus adversarii, sive antiqui sive moderni, contra praedictam conclusionem mussitandi sumpserunt occasionem. Ex quibus tantummodo sequentes, quae profecto potiores nobis videntur, instantias adducemus.

18. — I. Difficultas desumpta ex impossibilitate processus in infinitum in causis efficientibus. — Prima et potissima difficultas desumitur ex impossibilitate admittendi, in causis efficientibus, processum in infinitum. *Si mundus fuit aeternus et generatio fuit ab aeterno,* ita argumentantem inducit Angelicus [1], *ergo unus homo genitus est ab alio in infinitum ; sed pater est causa efficiens filii, ut dicitur II. Physic. : ergo in causis efficientibus est procedere in infinitum. quod improbatur in II. Metaphysicorum.*

Hanc eamdem difficultatem verbis paulo diversis proponit Cardinalis Gerdil, dum arguit omnem seriem necessario componi ex determinato terminorum, sive unitatum numero, omnem autem numerum, eo ipso quod numerus est, finitum esse. Addit autem [2], infinitam seriem revolutionum solis, quae in hac hypothesi sibi invicem succedere debuissent, esse seriem compositam ex numero infinito terminorum ; ideoque existentiam aeternam universi requirere seriem unitatum actu infinitam, quae tamen impossibilis est [3].

[1] Ad 7[m]. — [2] SAGGIO DI UNA DIMOSTRAZIONE, ecc. p. 279. — [3] *Se l'universo ha esistito fin dall'eternità. la rivoluzione precedente*

19. — S. Thomae doctrina circa multitudinem infinitam. — Ut rite praesens difficultas dirimatur, praemittere necesse est, quid circa multitudinis infinitae possibilitatem, iuxta sanioris philosophiae principia, sit retinendum.

Multitudinem omnem *actu* infinitam repugnare, satis clare ostendit S. Doctor in prima Parte [1], sive haec multitudo ponatur actu infinita per se, sive ponatur actu infinita per accidens.

Siquidem, nonnulli philosophi, ut, inter arabes, Avicenna [2] et Algazel [3], arbitrabantur impossibile quidem esse dari multitudinem actu infinitam *per se*, qualis esset quae per se requireretur ad aliquod opus faciendum, sicut si ad opus fabrile requireretur ars in mente, et manus movens, et baculus, etc., usque in infinitum: in hoc enim casu rei productio penderet ab infinitis, unde nunquam compleretur, cum infinita non sit pertransire. Admittebant tamen possibile esse dari multitudinem actu infinitam *per accidens*, qualis esset multitudo actu infinita malleorum, quibus artifex in opere quodam fabrili complendo uteretur, non quasi isti per se requirerentur, sed quia uno fracto, acciperetur alius, etc., usque in infinitum, si infinito tempore artifex operaretur.

Hoc autem impossibile reputat S. Thomas ex duplici capite. *Primo*, ex parte ipsius multitudinis infinitae, quae

---

del sole è stata preceduta da una serie infinita di rivoluzioni..... Or una serie infinita di rivoluzioni, le quali si dovessero riconoscere come già succedute le une alle altre in questa supposizione dell'eternità dell'universo, non è altro che una serie composta di un numero o di una moltitudine infinita di termini e di unità; poichè l'unità astratta è applicabile a qualunque rivoluzione data. Dunque l'esistenza eterna dell'universo necessariamente stabilisce non solamente la possibilità, ma ancor la realtà di una serie di unità attualmente infinita. Ma questa serie infinita è stata dimostrata impossibile negli articoli precedenti. Dunque l'eternità dell'universo, di cui quella sarebbe una conseguenza necessaria, è ugualmente impossibile. P. 287.

[1] Quaest. VII, art. 4. — [2] Vide iam citatum opus, METAPHYSICES COMPENDIUM, Ed. Nematallah Carame. — [3] Al Gazzali (1058-1111) magna inter mahumetanos auctoritate praestans, dictus propterea *Argumentum Islamismi*.

in suo conceptu contradictionem involvit. Omnis enim multitudo debet esse in aliqua specie multitudinis. Species autem multitudinis sunt sicut species numerorum. Porro nulla species numeri est infinita, quia quilibet numerus est multitudo mensurata per unum. Unde numerus infinitus nequit reduci in actu quod sit totus simul; et ita nec infinitae figurae, ut trilaterum, quadrilaterum, etc., possunt reduci simul in actum, quia species figurarum habent infinitatem ex numeri infinitate. *Secundo*, ex parte creantis, quia omne quod creat aliquid, nititur illud comprehendere sub certa intentione, secus in vanum operaretur. Unde cum omnis multitudo, quae in rerum natura existit, sit creata, necesse est quod sub aliquo certo numero comprehendatur, *ideoque multitudo actu infinita nequit esse, nec per se, nec per accidens.*

Attamen, licet S. Doctor non reputet possibile dari multitudinem actu infinitam, concedit tamen possibile esse quod habeatur multitudo infinita *in potentia*, hac ductus ratione, quod augmentum in multitudine consequitur divisionem magnitudinis; quanto enim aliquid plus dividitur, tanto plura secundum numerum resultant. Sed infinitum inveniri potest in divisione continui, non quidem infinitum actu, sed potentia, cum per divisionem accedatur ad materiam quae est in potentia. Unde infinitum potest inveniri in potentia in additione multitudinis.

Porro, cum unumquodque reducatur in actum eo modo quo est in potentia ad esse actu, aliqua autem sint in potentia ad esse actu tota simul, ut domus, etc., alia autem successive, ut dies crastina, et similia, ideo multitudo infinita, cum sit in potentia ad esse actu non tota simul sed successive, reducitur in actum non tota simul sed successive, ita scilicet quod post quamlibet multitudinem accipiatur alia multitudo usque in infinitum.

20. — Solvitur proposita difficultas. — Et hoc quidem praecise verificatum fuisset in hypothesi de creatione mundi ab aeterno, seu melius de motu ab aeterno. In ista enim hypothesi, motus fuisset sempiternus, ideoque infinitus a parte ante; et, ut singularem casum inspiciamus, semper fuisset motus generationis in plantis aut in animalibus. Sed

non ex hoc sequeretur inconveniens quod generatio huius animalis dependeret ex infinitis, ideoque nunquam compleretur, cum in causis efficientibus non sit procedere in infinitum. Causae enim huiusmodi, licet infinitae ponantur, tamen non essent actu simul, sed successive tantum. Hoc tamen non sufficit: quia etiam ex infinitis causis efficientibus, licet successivae sint, nunquam potest alicuius rei productio fieri, si effectus *per se* dependeret ab huiusmodi causis: nisi enim detur primum in moventibus et motis, nunquam motus perficietur.

Sed in casu nostro, causae huiusmodi quae in infinitum multiplicari ponuntur, dum ponitur infinita series generantium et generatorum, non per se influerent in effectum, sed *per accidens* tantum. Accidit enim huic animali, in quantum generat, quod sit generatum ab alio: generat enim in quantum est animal, non in quantum est generatum ab alio animali. Omne enim animal generans habet gradum unum in causis efficientibus, gradum scilicet distinctum, proprium sibi et in hoc ab aliis independens; unde ipsum et ipsum solum est causa generationis animalis, non autem parens animal, a quo ipsum generatum fuit: hoc enim nonnisi per accidens se habet ad generationem animalis quod recens generatur.

Quocirca, duo exhibentur casus ab invicem valde diversi: *unus*, quo poneretur animalis generatio dependere a causis infinitis *per se*, puta ab hoc animali, et a corpore elementari, et a sole, et a ceteris, usque in infinitum; aut si in operatione artis fabrilis infinita per se requirerentur, puta ars in anima, et manus movens, et instrumentum, etc., usque in infinitum; *alius*, quo in animalis generatione infinita ponantur *per accidens* concurrentia, puta si artifex in operatione artis multis malleis utitur, quia unus post alium frangitur, et infinitis uteretur malleis, si infinito tempore operaretur: accidit enim huic malleo quod agat post operationem alterius, unde omnes mallei non tenent ordinem nisi unius causae, et eorum multiplicatio est per accidens. Et ita per accidens esset generatio infinitorum animalium respectu generationis huius determinati animalis [1].

[1] Ad 7[m].

21. — Scholion. — Ubi cautus lector advertat, non esse ista, quae hic [1] ab Angelico traduntur, opposita iis quae ille in quaestione septima [2] docuerat: illic enim negaverat impossibilitatem multitudinis infinitae per accidens, sed quae esset *actu tota simul;* hic vero alia omnino res asseritur, licet exemplum S. Doctoris identicum sit; conceditur enim posse dari multitudinem infinitam per accidens, sed quae, ex dictis et ex indole materiae, non actu tota simul, sed *successiva* poneretur.

Ad id autem quod Card. Gerdil obiiciebat, scilicet aeternam creationem requirere seriem actu infinitam unitatum, respondetur existentiam aeternam universi non requirere seriem unitatum, sive per se, sive per accidens, infinitam actu, sed solummodo seriem infinitam in potentia, scilicet successive, ut dictum est.

Praeterea, nec probari potest quod [3] addit E.mus auctor, videlicet *omnem collectionem infinitam unitatum aliud esse non posse, nisi naturalem progressionem numerorum usque in infinitum perductam* [4]: siquidem infinita collectio unitatum faceret multitudinem infinitam in potentia, quod est successio quaedam indefinita. Et ex hoc discrimine desumenda est ultima ratio ad solvendas alias difficultates, ex simili confusione ortas, quas magno apparatu congerit laudatus auctor [5].

Denique deprehendere haud possum cur huic auctori,

[1] Loco prox. cit. — [2] Art. 4. — [3] Ibid. p. 289. — [4] *Ogni collezione infinita di unità non può essere che la progressione naturale dei numeri tratta all'infinito.* — [5] Talis est sequens difficultas: *Se voi confessate che la ragione dimostra metafisicamente l'impossibità dell'infinito categorico in una collezione di termini permanenti, dovete confessare il medesimo di una serie di termini successivi. D'altronde a me pare che sia una contradizione a supporre che Dio, creando il mondo, possa dargli un'esistenza eterna* A PARTE ANTE. *Chi dice eterno in questo senso, dice l'esclusione di ogni incominciamento. Or Dio, creando il mondo, gli dà un incominciamento; dunque il mondo non potrebbe essere eterno* A PARTE ANTE (*p.* 288). Haud dissimiles sunt difficultates quas contra thesim nostram congerit Franciscus Sylvius (in 1. Summae Theol., Quaest. XLVI, art. 2), quibus tamen solvendis inservit praefata distinctio.

aliisque pluribus, tantam difficultatem ingerat ista infinita successio a parte *ante*, cum aeternitas successiva a parte *post*, quam tot auctores, non modo ut hypothesim, sed etiam ut thesim admittunt, si bene res perpendatur, easdem omnino difficultates pati deprehendatur.

22. — II. Difficultas desumpta ex numero actu infinito animarum. — Succedit ut alia, haud levis, difficultas proponatur contra possibilitatem aeternae creationis, scilicet ex numero actu infinito animarum humanarum quae, corporibus morte peremptis, in essendo perdurare deberent. Sic dificultatem proponit Angelicus [1]: *Si mundus et generatio semper fuit, infiniti homines praecesserunt. Sed anima hominis est immortalis. Ergo infinitae animae humanae nunc essent actu, quod est impossibile. Ergo ex necessitate sciri potest quod mundus incoeperit, et non sola fide tenetur.*

Hanc eadem difficultatem sibi proposuerat idem S. Thomas in libro secundo contra Gentiles [2], et quidem contra immortalitatem animae, in hypothesi aeternitatis mundi. *Si mundus est ab aeterno,* dixerat ille, *motus fuit ab aeterno; ergo et generatio est aeterna. Sed si generatio est aeterna, infiniti homines mortui sunt ante nos. Si ergo animae mortuorum remanent post mortem in sua multitudine, oportet dicere animas infinitas esse nunc in actu hominum prius mortuorum. Hoc autem est impossibile; nam infinitum actu non potest esse in natura. Relinquitur igitur, si mundus est aeternus, quod animae non remaneant multae post mortem.*

Haud dissimilis, ni fallor, est difficultas quam iterum contra possibilitatem aeternae creationis movet Cardinalis Gerdil, ex eo deprompta quod, in hac hypothesi, posset concipi intelligentia quaedam, sin minus Deus ipse, unicuique solis revolutioni quoddam velut signum imprimens, et ita multitudinem actu infinitam constituens, quod, omnibus fatentibus, est impossibile [3].

[1] Ad 8m. — [2] Cap. LXXX. — [3] *Qualor si supponga un'intelligenza, coeterna al mondo, che a qualunque rivoluzione del sole imprima un segno qualunque dell'esteso, vi sarebbero dunque già tanti segni tracciati coesistenti, quante sono state le rivoluzioni del sole, cioè un numero attualmente infinito da una parte e dall'altra. Dunque se la possibilità*

23. — Prima solutio a S. Thoma exhibita. — Aliter diversis temporibus difficultatem istam solvisse exhibetur Angelicus Doctor. Haud abs re erit has diversas solutiones proponere, non solum ut veritas clarius elucescat, sed etiam ut logicus S. Thomae mentis processus appareat.

In citato libro secundo Contra Gentiles [1], sequentem solutionem exhibet.

Occasione autem tertiae rationis inductae, ait, *aliqui aeternitatem mundi ponentes, in diversas opiniones extraneas inciderunt. Quidam enim conclusionem simpliciter concesserunt, dicentes animas humanas cum corporibus penitus interire. Alii vero* [2] *dixerunt quod de omnibus animabus remanet aliquid unum separatum, quod est omnibus commune, scilicet intellectus agens, secundum quosdam, vel cum eo intellectus possibilis, secundum alios. Alii autem posuerunt animas in sua multitudine post corpora remanere; sed, ne cogerentur animarum ponere infinitatem, dixerunt animas easdem diversis corporibus uniri post determinatum tempus; et haec fuit Platonicorum opinio, de qua infra* [3] *agetur. Quidam vero, omnia praedicta vitantes, dixerunt non esse inconveniens animas separatas actu existere infinitas; esse enim infinitum actu, in his quae non habent ad invicem ordinem, est esse infinitum per accidens, quod ponere non reputant inconveniens; et est positio Avicennae et Algazelis.*

Quid autem horum Aristoteles senserit, ab eo expressum non invenitur, cum tamen expresse mundi aeternitatem ponat. Ultima tamen praedictarum opinionum principiis ab eo positis non repugnat; nam probat, in tertio Physicorum [4] *et in primo de Coelo et mundo* [5]*, infinitum non esse actu in corporibus naturalibus, non autem in substantiis immaterialibus. Certum*

---

di una serie eterna di termini successivi seco trae la possibilità almeno metafisica di un numero attualmente infinito di termini permanenti, e se d'altra parte si dimostra che questo numero infinito è metafisicamente impossibile, si deve conchiudere che la serie eterna è ancora metafisicamente impossibile, poichè senza questa il numero infinito nol sarebbe Ibid.

[1] Cap. LXXXI. — [2] ALEXAND. et AVER., ut supra, c. 38. — [3] Cap. LXXXIII. — [4] T. c. 40, et infra. — [5] T. c. 34, et infra.

tamen est circa hoc nullam difficultatem pati catholicae fidei professores, qui aeternitatem mundi non ponunt.

In Opusculo autem de *Aeternitate mundi*, ulterius processerat S. Thomas. *Adducunt etiam pro se* (adversarii), ait, *rationes quas etiam Philosophi tetigerunt et eas solverunt: inter quas illa est difficilior, quae est de infinitate animarum; quia si mundus semper fuit, necesse est modo infinitas animas esse. Sed haec ratio non est ad propositum: quia Deus mundum facere potuit sine hominibus et animabus: vel, tunc etiam potuit hominem facere quando fecit, si etiam totum alium mundum fecisset ab aeterno, et sic non remanerent post corpora animae infinitae. Et praeterea adhuc non est demonstratum quod Deus non possit facere ut sint infinita actu.*

24. — Vera solutio. — At, in Summa theologica, S. Thomas admittit hoc esse revera magnum inconveniens, et proinde cautissimus decernit sententiam de possibili existentia mundi ab aeterno non debere universaliter extendi [1]: *Considerandum tamen, quod haec ratio particularis est; unde posset dicere aliquis quod mundus fuit aeternus, vel saltem aliqua creatura, ut angelus, non autem homo. Nos autem intendimus universaliter, an aliqua creatura fuerit ab aeterno.*

Quapropter dicendum est, ex mente Angelici Doctoris, ut res ipsi ultimo visa est, praedictam possibilitatem intelligi non debere de illis rebus quae multitudinem actu infinitam inducerent: talis enim multitudo repugnat, non autem multitudo infinita in potentia, qualis est series successiva unitatum hinc inde usque in infinitum producta.

Esse multitudinem infinitam in potentia, ait iterum Angelicus [2], *possibile est, quia augmentum multitudinis consequitur divisionem magnitudinis. Quanto enim aliquid plus dividitur, tanto plura secundum numerum resultant. Unde sicut infinitum invenitur in potentia in divisione continui qua proceditur ad materiam, ut supra ostensum est, eadem ratione etiam infinitum invenitur in potentia in additione multitudinis.* Quod discrimen ipsemet Card. Gerdil admittere cogitur, dum ait aliud esse quantitatem esse divisibilem sine fine, aliud divisionem hanc posse perduci usque ad infinitum actuale [3].

[1] Ad 8[m]. — [2] Quaest VIII, art. 1. — [3] *È di mestieri qui osservare*

25. — Advertendum circa Angelici Doctoris textum. — Hic tamen circa ipsum S. Thomae textum, cui potissime tota haec nostra elucubratio innititur, aliquid advertendum censemus, in gratiam illius doctrinae, necnon in veritatis ipsius emolumentum.

Si creatio hominis ab aeterno inducit infinitam generationem, et consequenter infinitum numerum animarum actu, talis autem numerus repugnat, quomodo concludere potuit S. Thomas [1]: *Demonstrari non potest quod homo, aut caelum, aut lapis non semper fuit?* homo enim semper esse non potuit, quin esset, secundum naturae legem, infinita generatio, et sic infinitae animae actu existerent.

Huic rationi in opusculo *de Concordantiis* [2] respondetur, quod istud dictum fuit praeter intentionem S. Thomae: *Quod quidem dictum de homine non stat cum praedicta responsione: unde scire debent adversarii quod haec responsio non fuit intentionis nostrae.* Pariter ibi repudiatur quod de possibilitate multitudinis actu infinitae S. Thomas edixerat in opusculo *de Aeternitate mundi. — Diximus in praedicto tractatu quod nondum erat ostensum infinita actu esse non posse:... quod tamen nos postea in prima parte Summae ostendimus, recitata opinione Algazelis, et certum habuimus quod infinita esse non possunt etiam per accidens... Non opinamur hoc possibile esse, cuius oppositum docuerimus in prima parte Summae.*

At necesse non est ut dicatur S. Thomas contra seipsum pugnasse: potuit enim homo ab aeterno ita creari, ut nonnisi congruo tempore in generationem incumberet: quod etiam in citato opusculo *de Concordantiis* dicitur. *Si praedicta responsio non placet* (scilicet S. Thomam se retractasse),... *quia Aristoteles ponit mundum omnes species rerum habuisse a principio, unde non mundus ab aeterno potuit poni perfectus, nisi homo esset qui est species perfectissima universi.... si videtur inconveniens mundum ab aeterno sine homine esse.... huic respondet Philosophus quod generatio non est nisi ad salvandam speciem*

---

altro essere che la quantità sia divisibile senza fine e senza che si possa giungere ad un ultimo termine di divisione: altro, che questa divisione possa essere tratta all'infinito attuale. Op. cit. pp. 289, 290.

[1] In corp. art. — [2] Vide quae de isto Opusc. diximus, p. 87.

quae in uno salvari non potest. Natura igitur universali conservante hominem ne inconveniens accideret de infinitate propter bonum universi, differre potuit generationem ab eo: et tamen universum perfectum foret in omnibus speciebus, secundum Aristotelem: per Scripturam enim sacram docemur Adam immortalem factum per originalem iustitiam. Unde licet eum Deus fecisset ab aeterno, quia non repugnat ab aeterno habere esse ab alio, ut frequenter ostendimus, potuisset Adam existere ad perfectionem universi et non generare, nisi usque ad tempus a Deo sibi statutum, ne in universo inordinatio aliqua sequeretur.

26. — III. Difficultas contra modum ratiocinandi S. Thomae. — At, dicet forsan quis, nonne S. Thomae argumentatio, ad excludendam impossibilitatem creationis ab aeterno, prorsus speculativa seu pure rationalis est, praetermissa demonstratione factis experientiae innixa, quae *mixta* vocari posset, utpote quae supra recentibus adinventis astronomiae, geologiae, necnon palaeontologiae fundata, quae Angelicus Doctor minime cognoscere potuit, hodie tamen certissima sunt? Et sic, quia ex praedictis hodiernis scientiis ostenditur totalem ac intimam rerum mutationem aliquando accidisse, ideo ex hisce adinventis optime ascendi poterit ad primam prorsus formationem et constitutionem omnium rerum [1].

[1] Sic argumentabatur, paucis abhinc annis, Prof. Ioseph Ballerini, qui primum in Periodica evulgatione *La scuola cattolica* (Sull'origine dell'Universo. Ser. II, Vol. XIII, Maggio 1897) haec scripserat: *Oggi, dopo tutte le scoperte dell'astronomia, della geologia e della paleontologia, non si potrebbe della* TEMPORANEITÀ *del mondo tentare una nuova dimostrazione, quella dimostrazione che i logici chiamano mista, perchè consta dei fatti di esperienza, e dei giudizi della ragione? A me pare che sì. I fatti che ora presenta la scienza ci portano a conchiudere per l'origine* TEMPORANEA *dell'universo.* Et iterum (Osservatore Catt. 24-25 giugno 1897) scribebat idem auctor: *Le parole della Somma* (1, 42, 2, ad 4[m]) *non preoccupano la mia dimostrazione: esse non toccano nè possono toccare fatti che allora neppur si conoscevano... Nel caso nostro si tratta invece di una mutazione* TOTALE ED INTIMA *che ci fa risalire alla prima formazione o costituzione di* TUTTE LE COSE.

At, prout circa huiusmodi rationes animadvertit egregius quidam anonymus auctor [1], argumenta rationis ab Angelico adducta tam universalia sunt, ut applicari valeant omnibus factis, omnibusque temporibus. Non enim rationibus subiectivis aut deficientibus utitur S. Thomas, sed rationibus contra quas excipi nunquam possit, et quae scientiarum adinventis minime infirmari valeant.

Sed quid est illud genus demonstrationis, quod mixtum hic appellatur? Profecto logica non agnoscit nisi duplicem demonstrationem: scilicet, *propter quid*, seu per causam, et *quia*, seu per effectum, aut signum, aut etiam sensum. Supra autem advertimus cum Caietano, cum inter Deum et universum medium quid non sit, ideo non dari locum demonstrationi *quia*: quis enim adfuit creationi universi? Sed nec ipsa demonstratio *propter quid* abstrahit totaliter ab experientia; quum ipsa procedat ex natura et proprietatibus rerum, quas profecto experientiae inductione primo cognoscimus.

Denique verum non est, ex adinventis hodiernis deveniri posse ad primam quadam intimam et totalem rerum mutationem: potuit enim infinities, ut innuit Angelicus [2], processus iste mutationis locum habere.

27. — IV. Solvitur difficultas deprompta ex Dei cognitione. — At, ex ordine etiam cognitionis potest difficultas suboriri ex eo ducta quod omnia subsunt scientiae Dei; et similiter aliqua creatura, verbi gratia, angelus cognoscit cogitationes suas. Atqui in hypothesi aeternae creationis, infiniti dies praecesserunt diem praesentem, et similiter infinitae cogitationes praecesserunt praesentem angeli cogitationem. Ergo Deus deberet cognoscere infinitos dies et similiter angelus infinitas suas cogitationes. Atqui, iuxta tritum axioma, infinitum non est pertransire, quod est, infinitum non est cognoscibile. Ergo creatio ab aeterno regugnat.

Huic respondetur, totam aequivocationem latere in eo quod dicitur infinitum non posse cognosci, quod quidem dis-

[1] In Ephemeride *l'Osservatore Cattolico*, numeris citatis, necnon 26-27 iunii, 1897. — [2] Ad 4[m].

tinctione indiget. Si enim de infinito formaliter accepto agatur, scilicet de eo cuius forma non finitur per materiam, quale est ens perfectissimum qui Deus est, dicendum est illud esse maxime cognoscibile, cum sit maxime in actu; si autem agatur de infinito materialiter sumpto, seu in potentia, huiusmodi non est cognoscibile qua infinitum est, sed qua finitum: finitur enim scientiâ cognoscentis; et hoc est cognoscere infinitum per modum finiti.

Cognoscere infinitum secundum modum infiniti ait S. Thomas [1], *est cognoscere partem post partem; et sic nullo modo contingit cognosci infinitum: quia quantacumque quantitas partium accipiatur, semper remanet aliquid extra accipientem,* (et propter hoc dici solet quod infinitum est impertransibile quia non potest transiri, sive a finito, sive ab infinito). *Deus autem non sic cognoscit infinitum vel infinita, quasi enumerando partem post partem, cum cognoscat omnia simul, non successive.* Quod proportionaliter dicatur de infinito, per respectum ad cognitionem creaturae.

28. — V. Difficultas ab indirecto petita proponitur et solvitur. — Ab indirecto etiam contra thesim quam defendimus argumentum conficere nonnulli contendunt, advertentes quod si mundus semper fuisset, infiniti dies praecessissent hunc diem. Atque infinita non est pertransire. Ergo ad hunc diem numquam perventum fuisset, quod est manifeste falsum.

Respondet Angelicus [2], quod obiectio ista procedit ex falsa imaginatione. Imaginatur enim quis quod, positis extremis, sint media infinita. Porro quaecumque dies praeterita signetur, et ita habitis duobus extremis tanquam terminis, erunt profecto finiti dies, qui pertransiri poterunt, quum transitus semper intelligatur de termino in terminum.

29. — VI. Difficultas petita ex carentia primi cuiusdam diei in hac hypothesi. — Huic difficultati aliam, paulo subtiliorem, subnectunt aliqui, ad ostendendam praedictam impossibilitatem. Si mundus fuit ab aeterno, aiunt, ergo non

[1] Ad 1m. — [2] Ad 6m.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

fuit dies primus, nec erit secundus. Ergo si non est dies primus, nec erit dies praesens. Igitur mundum fuisse ab aeterno est impossibile.

Solvitur autem haec difficultas concedendo antecedens, et negando consequens. — *Antecedens* quidem verum est, scilicet in hypothesi aeternae creationis non dari diem primum; vera quoque est conditionalis: si non est dies primus, non est secundus: nam conditionalis vera est, licet utraque praemissa sit falsa, scilicet et quod non sit primus dies, et quod non si secundus: et quidem vera est, quia verus est nexus. Revera, secundum pendet a primo per se: atqui in his quae pendent per se ab alio, nisi hoc detur, nec illud haberi potest.

Consequens vero, scilicet non esse diem praesentem, falsum est, quia falsus est nexus. Nam existentia huius diei non pendet a die hesterna, nec a prima die, nisi per accidens. Atqui in iis quae ab invicem pendent tantummodo per accidens, potest procedi in infinitum. Hoc S. Thomas saepius replicat, verbi gratia, cum dicit [1]: *Ea quae non habent ordinem per se, sed per accidens sibi invicem coniunguntur, nihil prohibet infinitatem habere. Causae enim per accidens indeterminatae sunt: et hoc etiam modo contingit esse infinitatem per accidens in finibus et his quae sunt ad finem.*

30. — Dari nequit materia quaedam primordialis aeterna, quae nulli motui subiecta sit. — Quae quum ita de potioribus difficultatibus, quae contra aeternae creationis possibilitatem moveri solent, constiterint, ultimo loco, opportunum ducimus figmentum quoddam explodere, quo nonnulli reputant quaestionem hanc se posse dirimere, admittendo possibilitatem quidem aeternae cuiusdam materiae primordialis, sed nulli motui, nullique temporis successioni subiectam.

Porro, quod huiusmodi figmentum admitti haud debeat, ex hoc apparet, quod omnis res creata quaecumque, mobilis sit oportet, motuique subiecta, quod ita exponit Angelicus [2]: *In omni creatura est potentia ad mutationem, vel*

[1] 1 2ae, Quaest. I, art. 4. — [2] 1, Quaest. IX, art. 2.

secundum esse substantiale, sicut corpora corruptibilia; vel secundum esse locale tantum, sicut corpora caelestia [1]*; vel secundum ordinem ad finem et applicationem virtutis ad diversa, sicut in angelis; et universaliter omnes creaturae communiter sunt mutabiles secundum potentiam creantis, in cuius potestate est esse et non esse earum.* Atqui nequit creatura mutationi motuique esse subiecta, quin etiam tempori subiiciatur, cum tempus sit *numerus motus secundum prius et posterius.* Quapropter, repugnat dari materiam quamdam primordialem nulli motui, nullique temporis successioni subiectam.

Multo magis repugnat dari materiam quamdam primordialem omni forma destitutam, qualem plures ex modernis fingunt: cum enim ex forma res quaecumque habeat esse, repugnat in terminis rem esse actu sine aliqua forma [2]. Ex forma autem consequuntur in substantia uniuscuiusque rei illa accidentia, illaeque virtutes propriae, quae sunt principia proxima operationis, vel motus.

31. — **Scholion.** — Ex omnibus quae hucusque exposuimus et resolvimus, apparet mundum, licet a Deo in temporis initio creatus fuerit, potuisse tamen in aeternitate creari, seu in tempore initio et fine carente: siquidem talis creatio nullam involvit repugnantiam. *Si enim esset aliqua repugnantia,* concludit Angelicus [3]*, mirum est quomodo Augustinus eam non vidit, quia haec efficacissima via esset ad improbandum aeternitatem mundi, cum tamen ipse multis rationibus impugnet aeternitatem mundi in undecimo et duodecimo de Civitate Dei. Hanc autem unde omnino praetermitit? Quinimmo innuere videtur quod non sit ibi repugnantia intellectuum,* etc. Addit autem S. Thomas [4]: *Mirum est quomodo nobilissimi philosophorum hanc repugnantiam non viderunt*; et non sine ironiae nota concludit: *Ergo illi qui tam subtiliter eam percipiunt soli sunt homines, et cum eis oritur sapientia* [5].

32. — **Obiectio Ausonii Franchi contra huius doctrinae utilitatem.** — Solutis iam difficultatibus quae contra possi-

[1] Hoc dicitur secundum opinionem veterum. — [2] Cf. 1, Quaest. LXVI, art. 1. — [3] Opusc. *de Aeternitate mundi.* — [4] Ibid. — [5] Allusio ad Iob, XII, 2.

bilitatem aeternae creationis movebantur, quaeri potest, cui bono quaestionem adeo subtilem, toties agitatam, et a summis ingeniis tanquam insolubilem habitam, iterato agitare inservit?

Profecto si, negative quidem resoluta, minimum profectus haec quaestio confert, quid erit, si affirmative resolvatur? Nonne grave exinde periculum inducetur de possibili ad realitatem transeundi, ut sic materiae aeternitas tanquam factum fundamentale ponatur, ex quo etiam occasio facile desumi poterit ad praedicandam materiae improductionem, sicut materialistis antiquis et recentioribus evenisse compertum est?

Ita doctissimus Ausonius Franchi, qui [1] primo observat S. Thomae diebus, temporaneam mundi creationem communiter traditam fuisse a Schola et ab Ecclesia, unde libera dabatur venia hypothetice disputandi circa possibilitatem aut impossibilitatem aeternae creationis, quin ullum periculum pro dogmate catholico necnon pro philosophica conclusione de origine mundi per creationem incurreretur.

At, advertit ille, si Angelicus Doctor in hodiernis scholis conversatus esset, in quibus docetur et publice sancitur falsi nominis scientia, quae ipsummet creationis conceptum tanquam absurdum, et e contra mundi materiaeque aeternitatem tanquam axioma retinet, profecto possibilitatem aut impossibilitatem creationis ab aeterno tanquam quaestionem neutram ille non habuisset, sed potius advertisset necessitatem absolute negandi possibilitatem, et affirmandi impossibilitatem aeternae mundi existentiae, ad hoc ut pantheismus et atheismus radicitus evellerentur [2].

[1] *Ultima Critica*, p. 473. — [2] *Ai dì suoi* (di S. Tommaso), *la creazione temporanea del mondo era credenza e dottrina comune delle scuole come della chiesa; onde si potea ben disputare ipoteticamente su la possibilità o impossibilità di una creazione ab eterno, senza tema d'alcun pericolo, o pregiudizio del dogma teologico e del teorema filosofico su l'origine reale del mondo. Che se invece S. Tommaso si fosse trovato in mezzo a scuole ove signoreggia più o meno officialmente una pretesa scienza, la quale spaccia il concetto stesso di creazione per un'assurdità ridicola, e l'eternità del mondo o della materia per una verità assiomatica, oh! no la possibilità o impossibilità della crea-*

33. — Huius doctrinae utilitas pro fidei oeconomia. — Advertimus iam, in hoc decipi clarmum auctorem, quod teneat quaestionem de possibilitate vel impossibilitate creationis ab aeterno a S. Thoma tanquam adiaphoram habitam fuisse: cum revera tanquam adiaphoram ille habuerit solam quaestionem de facto, utique citra revelationis momenta.

Praeterea, et hoc proprie ad rem nostram facit, quaestio ista supervacanea non est, uti iam Angelicus Doctor [1] praemonuerat, sed utilis valde quae consideretur, ne fides detrimentum patiatur, dum ea quae fidei sunt demonstrare quis nitens, nec valens rationes necessarias inducere, opinionem infidelibus ingerat, nos propter hasce rationes credere, sicque fidei veritatem infidelium irrisioni exponat. Prudentissimum hoc est oeconomiae fidei consilium, quo monemur ut si quando nosmetipsos impares sentiamus demonstrandis apud incredulos fidei dogmatibus, potius abstineamus ab adducendis rationibus quae futiles prorsus sint, satis habentes adversariorum difficultatibus quantum potuerimus, respondere.

Argumentum huiusmodi egregie prosequitur S. Augustinus, cuius verba praetereunda non sunt. *Cum audio*, ait ille [2], *christianum aliquem ista* (scilicet quae philosophi de caelo, aut stellis, aut lunae motibus dixerunt) *nescientem, et aliud pro alio sentientem, patienter intueor opinantem hominem: nec illi obesse video, cum de te, Domine, creator omnium, non credat indigna, si forte situs et habitus creaturae corporalis ignoret; obest autem, si haec ad ipsam pietatis doctrinam pertinere arbitretur, et pertinacius affirmare audeat quod ignorat.*

Quod autem revera obsit talis pertinacia, manifestat idem S. Augustinus in libro primo *super Genesim ad litteram* [3]:

---

zione ab eterno non gli sarebbe più apparsa una questione, come suol dirsi accademica, cioè indifferente a risolversi in un senso o nell'altro. Avrebbe tosto anch'egli più e meglio d'ogni altro avvertito e rilevato come,... a troncar davvero le radici al panteismo ed ateismo, convenga negare risolutamente la possibilità e affermare l'impossibilità di un'esistenza eterna del mondo.

[1] Loco cit. — [2] L. V Confess., c. 5. — [3] Cap. 19.

Turpe est nimis et perniciosum, ac maxime cavendum, ut christianum de his rebus, quasi secundum christianas litteras loquentem, ita delirare quilibet infidelis audiat, ut, quemadmodum dicitur, toto caelo errare conspiciens risum tenere vix possit. Et non tam molestum est quod errans homo videatur; sed quod auctores nostri ab eis qui foris sunt, talia sensisse creduntur; et cum magno eorum exitio de quorum salute satagimus, tanquam indocti reprehenduntur atque respuuntur.

34. — Haec doctrina maxime necessaria pro studio geologiae. — Non solum autem praesens quaestio pro fidei oeconomia utilis est, sed etiam praemitti debet, ut censemus, omni circa terrae nostrae, et generatim mundi huius originem, evolutionemve, disquisitioni. Non enim, ut volebat Ausonius Franchi, quidquam periculi habet praefata doctrina de possibilitate aeternae creationis; quinimmo contendimus quaestionem hanc, quam criteriis, formaliter altioribus quam illa sint quae experimentalibus disciplinis subministrantur, solvendam esse edicimus, tanquam ipsummet scientiae geologicae et archaeologiae praehistoricae fundamentum haberi debere: lumen videlicet subministrat naturae secreta, secundum illius origines, investigare desideranti, ut tuto in suis disquisitionibus procedere, et aeque ab instabilibus aliquorum, ac a ridiculis aliorum hominum positionibus discedere valeat.

35. — Geologorum circa mundi aetatem discrepantia. — Quod facile quisque deprehendet, si in modernam, ut aiunt, biologicam, aut geologicam scientiam oculos coniecerit. Sane, vix potest alia inveniri aetas, in qua homines tantum studium contulerint vetustati mundi investigandae, necnon numero saeculorum deprehendendo, quae inter praesentem epocam, et primum momentum quo materia sic dicta informis in mundo apparuerit, intercesserunt. Nimirum, crusta terrestris accuratissimo examini subiecta est, profundissimae quoque abyssi excavatae sunt, ut ex fossilibus quae terra in suo sinu invide recondit, totidem veluti chronometri haberentur, quibus vetustas terrae definiri valeat. Sed et ea

omnia quae natura subministrare potest, ad trutinam sunt revocata: strata, calcariae formationes, ossa petrificata, plantae in carbonem redactae, ceteraque huius generis, ut scientifice decernatur harum rerum, et consequenter terrae quae haec retinet et produxit, antiquitas.

At, quod vix credi potest, quanquam omnibus qui in hoc studium incubuere, eadem media suppeditarentur, sola differentia maioris minorisve perfectionis existente, nihilominus ad conclusiones adeo dispares illi adducti sunt, ut discrepantia in eorum iudiciis haberetur omni prorsus existimatione maior.

Et ut pauca hic adducamus exempla, ex stratis geologicis, ex depositis alluvianis, ex formationibus calcariis, necnon ex proprietatibus fossilium, schola darwinistica vult ut brevissimae inter periodos geologicas plus quam decies centena millia (*un milione*) annorum tribuatur. Pro origine vitae in terra, schola uniformitaria geologorum non minus adsignat quam quinquies millies centena millia (*cinquecento milioni*) annorum. Pro formatione autem saxorum stratificatorum crustae terrestris aliqui requirunt quingenties centena millia (*cinquanta milioni*), alii millies centena millia (*cento milioni*) annorum; Hutchinson vult ut anni pauciores non sint quam sexies millies centena millia (*seicento milioni*); dum Häckel docet millies milliesque centena millia (*migliardi di migliaia*) annorum necessaria fuisse priusquam formaretur moneron primitivum, quod, iuxta ipsum, protoparens fuit generis humani.

36. — Necessitas cuiusdam normae praeter geologica data. — Cum igitur tam arbitrariae, tam inter se discrepantes, tamque exaggeratae sententiae circa materiae vitaeque originem a sic dictis scientificis hominibus quotidie proferantur, hinc manifeste apparet, haud sufficientes esse geologo et biologo quoslibet chronometros a natura sola subministratos, et oportere eorum deductiones solidioribus fundare principiis, quam illa sint quae ex naturae penu desumuntur. Videlicet principio quodam inconcusso opus est, ad originem deprehendendam rerum visibilium: quod principium praecise est factum creationis mundi in initio tem-

poris, nec cuiuscumque temporis, sed temporis quod relative sat recens existat.

Profecto, nequit sufficienter cognosci natura rerum quae continuo motui iugibusque vicissitudinibus subiiciuntur, nisi cognoscatur, generaliori saltem ratione, earum durationis extensio ; eaque perniciosissima est philosophandi methodus, qua nonnulli certam quamdam theoriam aut hypothesim a priori confingunt, eamque fulciri contendunt imaginariis supputationibus, quas pro talibus periodis stare volunt, quales requiruntur ut existimationem ingerant illas hypotheses tanquam authentica facta esse habendas.

37. — Quodnam sit primum geologorum necnon biologorum officium. — Porro, si possibilitas existentiae aeternae rerum visibilium est res philosophice absurda, sufficientique evidentia probari potest mundum debuisse creari in tempore, homines geologiae et biologiae studio addicti, possunt utique sese accingere ad investigandas, absque ope luminis rationem excedentis, naturae origines. Sed si, ex altera parte, existentia ab aeterno alicuius substantiae corporalis, quaecumque illa sit, etiam materiae cuiusdam primordialis, nec intrinsece nec per respectum ad Creatorem repugnat, tunc homo veritatis studiosus nequit, in initio investigationum suarum, praescindere a documentis fide : insufficientes enim sunt omnes naturales chronometri, quicumque illi sint; ideoque necesse est ut ille, si quidem cupiat veros in scientia profectus facere, nec se ludibrio tanquam nubeculam sine aqua exponi, pro fundamento habeat mundum hunc non semper extitisse; et licet, ut habet Card. Manning, in Libris Sanctis aliquod chronologiae systema ad ultimos apices exactum non contineatur [1], pro certo tamen retineri debet creationem locum habuisse in tempore, et quidem in tempore relative sat recenti.

Quod si hac veritatis face geologia collustretur, haud dubitandum quin impensis laboribus ampla scientiarum documenta, merces accepta, respondeat : sin autem secus fuerit, infallibiliter in errorem labatur oportet.

[1] Temporal mission of the Holy Ghost, pag. 175. *No system of chronology is laid down in the Sacred Books.*

38. — Factum creationis in tempore non est praeambulum ad fidem. — Nec hoc adnotasse inopportunum censebitur. Si enim impossibilitas aeternae existentiae mundi demonstrabilis non est, factum creationis in tempore non est, ut solet dici, praeambulum ad fidem, quales sunt veritates philosophice demonstrabiles, sed est dogma proprie dictum, aut articulus fidei; nec ab hoc potest aut debet philosophus praescindere, tum in cursu, tum maxime in initio suorum studiorum.

Quapropter, si vera est S. Thomae doctrina, nempe *mundum non semper fuisse, sola fide teneri, et demonstrative probari non posse, sicut de mysterio Trinitatis dicitur,* sequitur non solum Ecclesiam iure suo usam fuisse, quando in quarto Lateranensi Concilio [1] definivit, *Deum sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem et corporalem,* verum etiam tum philosophiam hoc principio informari debere, tum philosopho non licere aut illud aperte respuere, aut affectanter ignorare. Si stultitia est pagana philosophia, certe paganus philosophus monstrum est.

39. — Pii IX circa falsam philosophandi rationem monitio. — Huc pertinet ea quam, die 21 Decembris 1863, Summus Pontifex Pius IX Archiepiscopo Monacensi et Frisingensi epistolam scripsit, utique memoratu dignissimam, tum ob circumstantiam quae illum ad scribendum impellebat, tum ob monita quae ibi continebantur. Die enim septima octobris illius anni, habitus fuerat in civitate Monacensi specialis theologorum et scientificorum hominum conventus, eo potissime intentus, ut philosophicas et theologicas disciplinas promoveret. At graves inde in animo Pontificis anxietates suscitatae fuerant, ex eo ductae quod non, ut officium erat, auctoritate Episcoporum, qui sunt custodes depositi fidei, sed privata huiusmodi hominum inspiratione, convocatus fuerat; ideoque verebatur Pontifex ne praeiudicium inferretur doctrinali Ecclesiae auctoritati et ita nova quaedam periculosa philosophia sanae doctrinae loco introduceretur.

[1] Cap. *Firmiter.*

Mox tamen anxium animum deposuit Pius IX, cum videlicet compertum habuit eos qui in conventu erant adunati, competentis auctoritatis sanctionem requisivisse, petita etiam pro suis laboribus apostolica benedictione, necnon fidei professione emissa, fidem se tenere ratione superiorem. Tum Pontifex id quod antea iam reprobaverat, iterato damnavit, distinctionem videlicet inter philosophum et philosophiam, quasi ille quidem legitimae auctoritati subiici debeat, haec autem neminem se superiorem agnoscat: qua distinctione invecta, plures inter germanos cultores scientiarum orthodoxos se esse contendebant, licet independentiam, ut aiunt, imo primatum philosophiae decernerent.

Quam philosophandi rationem *recentem* ac *praeposteram* vocat Summus Pontifex, *quae etiamsi divinam revelationem veluti historicum factum admittat, tamen ineffabiles veritates ab ipsa divina revelatione propositas humanae rationis investigationibus supponit, perinde ac si illae veritates rationi subiectae essent, vel ratio suis viribus et principiis possent consequi intelligentiam omnium supernarum sanctissimae fidei nostrae veritatum et mysteriorum* [1].

Quae quidem ad rem nostram applicantes, dicimus: si hypothesis aeternitatis mundi non est aliquod absurdum, et si Ecclesia definivit mundum creatum fuisse in tempore, officium est eorum qui cultores biologicarum scientiarum dicuntur, hanc veritatem agnoscere, eamque pluris facere, quam quodlibet criterium, sive a ratione, sive ab experientia subministratum.

40. — Vanus adversariorum timor. — Quod autem attinet ad illum plurium timorem, quos inter haberi Ausonium Franchi supra retulimus, ne scilicet exposita doctrina in damnum vergat philosophicae veritatis necnon Ecclesiae doctrinae circa creationem, quasi inde facile deduci valeat res mundanas a supremo principio minime pendere, — advertendum est, illum prorsus vanum esse, omnique fundamento destitui.

Re quidem vera, possibilitas creationis ab aeterno ho-

[1] Ep. *Tuas libenter*. D.-B., n. 1682

minem non magis ad materialismum inclinat, quam cibus animal ad mortem perducat. In utroque enim casu, et generaliter quotiescumque agitur de re in se bona, vera et honesta, non usus nocet, sed abusus. Sic igitur praefata doctrina ad materialismum nec proxime, nec, multo minus, necessario, scientiarum cultores perducit. Quocirca, existimanti se ita argumentari posse: *Potuit mundus semper existere, ergo semper extitit, et quidem a seipso,* — opponi poterit haec alia argumentatio, et quidem ad logicae rigorem: *Mundus potuit semper existere; ergo nec necessario, nec a se existit*; habet igitur causam, et hanc quidem liberam, ex cuius voluntate factum est ut in tempore, et non ab aeterno existeret.

Quocirca, si ipsum creationis factum proclamat veritatem existentiae Dei, possibilitas creationis ab aeterno, una cum facto ipso creationis in tempore aliquo finito, illius infinita attributa manifestat, maxime vero libertatem. Liberum quippe esse necesse est, et quidem in sua libertate omnipotentem, qui, cum potuisset a tota aeternitate mundum istum creare, illum tamen in tempore condere voluit, non ad sui indigentiam, sed propter suae perfectionis manifestationem, effundendo scilicet extra se aliquam infinitae suae bonitatis participationem.

41. — Conclusio totius articuli. — Et haec quidem recoluisse, ex iis quae tradit S. Thomas, satis esto, ad sedandas murmurationes recentiorum adversariorum possibilitatis aeternae creationis, si tamen praeoccupationi imaginationis valedicere voluerint.

Antequam tamen huic qualicumque elucubrationi finem imponamus, temperare haud valemus quin Angelico Doctori debitas laudes persolvamus, cuius praepotenti ingenio, in agitanda hac quaestione, id decerni posse videtur, ut modernos errores circa physicam mundi constitutionem praesenserit et veluti praeoccupaverit, ita statuta veritate, ut concesso adversariis eo omni quod concedi poterat, nempe possibilitate aeternae mundi existentiae, eos simul cogeret agnoscere et scientiae deficientiam in hac quaestione definienda, et Dei voluntatem ab omni prorsus necessitate liberrimam.

Et licet quibusdam visa sit mens S. Thomae nimis coarctata, quasi deprehendere haud valuerit repugnantiam inter mundum et durationem aeternam, reipsa tamen nimis generosa fuit, quam ut geologicis et biologicis scientiis quicquam detraheret; harum scientiarum cultoribus ita edoctis, se in naturae secretis investigandis, divinae revelationis facem haudquaquam seponere debere, nisi velint inextricabilibus erroribus implicari.

Denique, nec sua deerit revelationi laus, cuius dogmatum utilitas nedum pro vitae aeternae adeptione, sed etiam pro humanarum scientiarum profectu, ex hac quoque quaestione ita deprehenditur, ut cum regio Psalte, Deum alloquente, concludere debeamus [1]: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*

Articulus III. — *Utrum creatio rerum fuerit in principio temporis.*

I. — Praenotanda. — I. Ad intelligentiam huius quaesiti, in quo primi versiculi Geneseos egregium commentarium S. Doctor exhibet, primo loco dissipari aequivocatio debet quae, ex hoc quod dicitur, *in principio temporis*, oriri potest. Nimirum, non dicuntur res in principio temporis esse creatae, quasi principium temporis sit mensura creationis, sic enim oporteret ut tempus poneretur mensura substantiae rerum, quod repugnat, cum rerum, maxime spiritualium, substantiam tempus non mensuret; sed sensus est, simul cum tempore, caelum et terram fuisse creata [2].

II. Secundo, sedulo recolendum est, creari non esse fieri per motum, neque per terminum motus: quod advertitur quia, cum sit accipere prius et posterius in motu, si creari foret fieri per motum, esset accipere prius et posterius in creatione, quod est contra rationem instantaneitatis eiusdem [3].

III. Denique, falso conciperet quis, ita tempus fuisse creatum in initio temporis, quatenus tempus est numerus motus secundum prius et posterius: initium quippe temporis ponitur ipsum primum nunc a quo incipit tempus [4].

[1] Ps. XCII, 5. — [2] Ad 1[m]. — [3] Ad 2[m]. — [4] Ad 3[m].

2. — Sensus litteralis multiplex. — Recolendum hic quoque venit quod alibi [1] docuimus, scilicet multiplicem inveniri posse, in Sacra Scriptura, sensum litteralem, propterea quod ipsa Deum habet auctorem, qui omnia simul suo intellectu comprehendit: et quidem in hoc primo Geneseos versu exemplum insigne huius rei habetur.

3. — PROP. — Creatio rerum fuit in principio temporis.

4. — Exponitur. — Ad hoc evincendum, induci solet locus iste Geneseos [2]: *In principio creavit Deus caelum et terram:* qui locus tripliciter exponitur, ad excludendum triplicem errorem.

Primus error eorum fuit, qui posuerunt mundum semper fuisse et tempus non habere principium: ad quod excludendum, exponitur *in principio*, scilicet *temporis*: unde ponitur mundus creatus in initio temporis, ideoque tempus habuisse principium. — Secundus error eorum fuit, qui dicebant, duo fuisse creationis principia: unum bonorum, et aliud malorum: ad quod excludendum, exponitur ly *in principio*, id est in Filio: sicut enim esse principium effectivum appropriatur Patri propter potentiam, ita principium exemplare appropriatur Filio propter sapientiam; ut sicut dicitur [3]: *Omnia in sapientia fecisti*, ita intelligatur Deus omnia fecisse in principio, id est, in Filio, secundum illud Apostoli [4]: *In ipso*, scilicet in Filio, *condita sunt universa in caelis et in terra.* — Tertius error fuit eorum, qui dixerunt corporalia fuisse creata a Deo, mediantibus creaturis spiritualibus; ad quod excludendum exponitur ly *in principio*, id est, ante omnia, *creavit Deus caelum, et terram.*

5. — Patres. — Iuverit autem et ex Patribus sequentes pulcherrimos locos relegere. S. Irenaeus haec habet [5]: *Discant quoniam sine initio et sine fine, vere et semper idem, et eodem modo se habens solus est Deus, qui est omnium Dominus. Quae autem sunt ab illo omnia, quaecumque facta sunt, et*

[1] Tr. de Sacra Doctrina. Quaest. II, art. 2, nn. 14, seq., p. 130. — [2] Gen., I, 1. — [3] Ps. CIII, 24. — [4] Col., I, 16. — [5] Adv. haeres., l. II, c. 34, n 2.

fiunt, initium quidem suum accipiunt generationis, et per hoc inferiora sunt ab eo qui ea fecit, quoniam non sunt ingenita. S. quoque Athanasius ait [1], *res factas aeternas esse non potuisse, etiamsi eas semper potuerit facere Deus: illae enim ex nihilo sunt, nec erant antequam fierent.* Pariter S. Basilius [2]: *Iamvero saecula etiam aeterni appellatione nonnulli dignantur, quasi ex eo quod semper sint, hoc nominis adepta sint. Nos autem et creaturis aeternitatis testimonium praebere, et creaturarum dominum hac confessione privare eiusdem esse amentiae arbitramur.* Rursus, S. Cyrillus Alexandrinus [3]: *Quidquid enim est factum, sive creatum, id omnino in tempore esse coepit, aeternitas siquidem soli divinae atque immortali naturae convenit.* S. quoque Augustinus ait [4]: *Statuisti eam* (creaturam intelligentem) *in saeculum saeculi, praeceptum posuisti, et non praeteribit* [5]. *Nec tamen tibi Deo coaeterna est, quoniam non sine initio: facta est enim.* Denique S. Ioannes Damascenus [6]: *Creatura, cum voluntatis Dei sit opus, non est Deo coaeterna. Non enim natura fert, ut quod ex nihilo ad esse provectum est, coaeternum sit ei quod principio caret, estque semper.*

6. — Quatuor in initio creata. — Quae cum ita sint, dicenda sunt quatuor fuisse simul creata, scilicet caelum empyreum, materiam primam, tempus, et naturam angelicam. Quatuor ista, sub nomine caeli et terrae, in Sacra Scriptura comprehensa, dabant iam, modo suo, laudem et gloriam Deo, cum mox futurum foret ut ex eorum sinu surgerent distinctae creaturae, quae clarius divinas laudes celebrarent, iuxta invitationem propheticam [7]: *Benedicite caeli Domino;..... benedicite aquae omnes quae super caelos sunt, Domino;.. benedicat terra Domino.*

7. — Scholion. — Silendum autem hic non est ab auctoribus interdum, verbis *in principio*, alios quoque sensus minime despiciendos, appingi: scilicet, primo, sensus esse potest, Deum in *principatu*, seu *potentia regia*, fecisse caelum

[1] Or. 1, c. Arianos, c. 29. — [2] C. Eunomium, l. II, n. 17. — [3] Thesaur. asser., 32. — [4] L. XII, Confess., c. 15, n. 19. — [5] Ps. CXLVIII, 6. — [6] De fide Orth., l. I, c. 8. — [7] Dan., III, 59, 60, 74.

et terram [1], hoc enim significat quoque graecum ἀρχή et hebraicum רֵאשׁ, quod est *caput*; secundo, in principio, seu, *in capite*, quod est summatim; tertio, *in momento*, id est, citra omnem temporis morulam [2]; quarto, tanquam *fundamenta* et *bases* universi, quo sensu dicitur [3]: *Initium sapientiae, timor Domini*; quinto, *in Dei aeternitate*.

8. — **Notandum**. — Quod hic retulimus, communem quidem Patrum sententiam repraesentat, uno S. Augustino excepto qui, ut infra dicetur [4], cum docuisset informitatem materiae corporalis tempore non praecessisse formationem ipsius, sed tantum ordine naturae, negavit tempus materiae informi fuisse concreatum.

[1] Cf. Tertull., l. contra Hermog. — [2] Cf. S. Basil., Homil. I in Hexam. — [3] Eccli., I, 16. — [4] Quaest. VII, art. 4, n. 5.

QUAESTIO QUARTA

(XLVII)

DE DISTINCTIONE RERUM IN COMMUNI.

Prologus.

1. — Magna rerum in mundo varietas. — Si quis mundum attenta mente circumspiciat, non potest quin admiratione repleatur, dum immensos rerum thesauros conspicit, liberalissima Dei manu in orbem disseminatos. Sive enim ad mineralium, in planeta nostro absconsorum, copiam attendamus, sive regnum, ut aiunt, botanicum et zoologicum inspiciamus, sive maxime, nocte media, oculos ad firmamentum, tot stellis, velut gemmis splendentibus, distinctum, nequit mens veluti stupore quodam non moveri, dum tantam miratur entium varietatem in pulcherrima synthesi collegatorum. Quam varietatem vel in hominum societate contemplari libet, penes quos differentia viget, quod ad typum, vultus lineamenta, inclinationes, mores, ortum, civilitatem, pertinet, de qua re egregie disserit S. Augustinus. *Quis enim*, ait ille [1], *consulta ratione, non videat in hominum innumerabili numerositate et tanta naturae similitudine, valde mirabiliter sic habere singulos singulas facies, ut nisi inter se similes essent, non discerneretur species eorum ab animalibus ceteris, et rursus nisi inter se dissimiles essent, non discernerentur singuli ab hominibus ceteris? Quos ergo similes confitemur, eosdem dissimiles invenimus.*

2. — Ordo quaestionis. — Igitur cum iam consideraverimus productionem creaturarum in esse, nunc investigandum venit de propria ratione multitudinis et distinctionis

[1] L. XXI de Civ. Dei, c. VIII, n. 3.

earumdem. Quae quidem consideratio erit tripartita: nam primo considerabimus de distinctione rerum in communi (XLVII) secundo, de distinctione boni et mali (XLVIII-XLIX); tertio, de distinctione spiritualis et corporalis creaturae (L). — Porro distinctio rerum in communi erit dupliciter consideranda: primo, in seipsa (1-2); secundo, quantum ad primam entis passionem, scilicet relate ad mundi unitatem (3). In seipsa autem considerata, rerum distinctio erit inspicienda, primo, in ipsamet rerum multitudine (1), et secundo, in radice huius multitudinis, seu in inaequalitate rerum (2). — Demum, quo plenior evadat hac de re investigatio, quaestioni de mundi unitate erit coniungenda appendix de inhabitabilitate corporum caelestium.



Quocirca, hic quaeruntur tria.
Primo. De ipsa rerum multitudine seu distinctione.
Secundo. De earum inaequalitate.
Tertio. De unitate mundi.

Articulus I. — *Utrum rerum multitudo et distinctio sit a Deo.*

I. — Mirabilis colligatio partium huius universi. — Cum magnam multitudinem ac varietatem entium, quae in hac terra nostra comprehenduntur, cernimus, simulque ad innumera corpora, quibus caelestis testudo ornatur, oculos attollimus, nequit mens nostra admiratione non teneri, unde

mox in verba prophetae prorumpimus [1]: *O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis eius: magnus est et non habet finem, excelsus et immensus!* Crescit autem admirationis sensus, dum consideramus huius mundi partes intimo foedere colligari, et non solum homines inter se uniri commercio intellectuali ac sociali, sed et penes animalia, plantas, et mineralia, talem inveniri ordinem, ut dum viventia sensitiva et vegetativa homini inserviunt, mineralia ipsa ordinantur in utilitatem viventium. Sed nec in terra tantum invenitur mirabilis ista partium correlatio, sed etiam in orbibus illis, quos Scriptura poetice vocat *militiam caeli* [2], mirabilis ordo regnat, dum ex eis quoque arcanus quidam in hanc terram nostram influxus derivatur. Qua in se pulcre scribit S. Thomas [3]: *Omnia quae sunt, inveniuntur esse ordinata ad invicem dum quaedam quibusdam deserviunt. Quae autem diversa sunt, in unum ordinem non convenirent, nisi ab aliquo uno ordinarentur. Melius enim multa reducuntur in unum ordinem per unum, quam per multa, quia per se unius unum est causa, et multa non sunt causa unius nisi per accidens, in quantum scilicet sunt aliquo modo unum. Cum igitur illud quod est primum sit perfectissimum et per se, non per accidens, oportet quod primum reducens omnia in unum ordinem sit unum tantum, et hoc est Deus.*

Egregie Racine iunior, in suo de Religione poemate, veritatem hanc sequentibus versibus expressit [4]:

Quand je vois, par ces noeuds que je ne puis comprendre,
Tant d'êtres différents l'un à l'autre enchaînés
Vers une même fin constamment entraînés
A l'ordre général conspirer tous ensemble,
Je reconnais partout la main qui les rassemble;
Et d'un dessein si grand j'admire l'unité,
Non moins que la sagesse et la simplicité.

Quae cum ita sint, iam propria ratio repetenda est huius distinctionis in tam variata rerum multitudine. — Ubi primo

[1] Baruch, III, 24. — [2] Cf. Deut., XVII, 3; 4 Reg., XVII, 16; XXI, 3, 5, etc. — [3] 1, Quaest. XI, art. 3. — [4] Cant. I.

recensenda simul et confutanda sunt antiquorum naturalium opinamenta, quibuscum ad amussim conveniunt vana hodiernorum materialistarum sophismata.

2. — Falsae assignationes causae distinctionis rerum. — I. Causam distinctionis rerum aliqui attribuerunt materiae soli: et huius quidem opinionis fuerunt Democritus et Epicurus, omnesque antiqui naturales, qui solam causam materialem ponebant, dicentes rerum distinctionem a casu provenire, secundum motum materiae [1].

II. Alii vero rerum distinctionem et multitudinem attribuerunt materiae simul et agenti: quae opinio fuit Anaxagorae, ponentis intellectum distinguentem res, extrahendo quod erat permixtum in materia.

3. — Reprobantur istae opiniones. — At huiusmodi opiniones reprobantur propter duo. Primo, quia quod est creatum, non potest esse prima causa multitudinis et distinctionis rerum; sed si quid sit in rebus causa distinctionis,

[1] Descripsit iam FÉNELON in suo tractatu *De l'existence de Dieu*, (1re Partie, c. III), consequentias ad quas perducit doctrina Epicuri. Citari potest sequens locus: *Je suppose un nombre infini de combinaisons des lettres de l'alphabet formées successivement par le hasard; toutes les combinaisons possibles sont sans doute renfermées dans ce total, qui est véritablement infini. Or est-il que* L'ILIADE *d'Homère n'est qu'une combinaison de lettres?* L'ILIADE *d'Homère est donc renfermée dans ce recueil infini de combinaisons des caractères de l'alphabet. Ce fait étant supposé, un homme qui voudra trouver de l'art dans* L'ILIADE *raisonnera très mal. Il aura beau admirer l'harmonie des vers, la justesse et la magnificence des expressions, la naïveté des peintures, la proportion des parties du poëme, son unité parfaite, et sa conduite inimitable; en vain il se récriera que le hasard ne peut jamais faire rien de si parfait, et que le dernier effort de l'art humain peut à peine achever un si bel ouvrage: tout ce raisonnement si spécieux portera visiblement à faux. Il sera certain que le hasard ou concours fortuit des caractères les assemblant tour à tour avec une variété infinie, il a fallu que la combinaison précise qui fait* L'ILIADE *vînt à son tour, un peu plus tôt ou un peu plus tard. Elle est enfin venue, et* L'ILIADE *entière se trouve parfaite, sans que l'art d'un Homère s'en soit mêlé. Voilà l'objection rapportée de bonne foi, sans l'affaiblir en rien.*

hoc est reducibile in altiorem causam, scilicet creantem ipsam. Atqui materia est et ipsa creata a Deo. Ergo ipsa materia non potest esse prima causa distinctionis et multitudinis rerum: sed si quid est in rebus ex quo distinctio ista causetur, hoc erit reducendum in altiorem causam. — Secundo, forma est prior materia: nam materia est propter formam, et non e converso. Atqui res distinguuntur per proprias formas. Ergo materia non est distinctiva rerum, sed potius in materia creata est difformitas, ut esset diversis formis accommodata.

4. — **Avicennae opinio**. — Subtilior longe fuit Avicennae opinio, qui rerum distinctionem attribuit secundis agentibus. Dixit enim quod Deus, intelligendo se, produxit intelligentiam primam, quae, quia non est suum esse, ex necessitate includit compositionem potentiae et actus. Sic igitur prima intelligentia, in quantum intelligit causam primam, produxit secundam intelligentiam; in quantum autem intelligit se, secundum quod est in potentia, produxit corpus caeli, quod movet: in quantum vero intelligit se secundum id quod habet de actu, produxit animam caeli [1].

5. — **Reprobatur**. — At neque haec positio potest sustineri. Ea enim quae non possunt produci nisi per creationem, non possunt causari a secunda intelligentia, nam solius Dei est creare, ut superius fuit demonstratum. Sed ea, quae non subiacent generationi et corruptioni, ut sunt intelligentiae, non possunt produci nisi per creationem. Ergo huiusmodi a solo Deo, et non ab aliqua intelligentia possunt produci. — Secundo, si vera esset haec positio, sequeretur quod complementum universi, quod in diversitate rerum consistit, esset a casu, et non ex intentione primi agentis, quod est impossibile: nam, quod evenit non ex intentione primi agentis, sed ex concursu multarum causarum agentium, tale dicimus provenire a casu.

6. — PROP. — **Distinctio, et multitudo rerum sunt ex intentione primi agentis, quod est Deus.**

[1] Cf. iam citatum opus, AVICENNAE METAPH. COMPENDIUM, p. XXIII.

7. — Prob. — Finis ob quem produxit Deus creaturas in esse fuit ut suam bonitatem eis communicaret et per eas repraesentaret seu manifestaret eamdem bonitatem. Porro, cum per unam creaturam divina bonitas sufficienter repraesentari non possit, hinc produxit Deus multas creaturas ut quod uni deest ad repraesentandam divinam bonitatem, suppleatur ex alia. Bonitas enim, quae in Deo est simpliciter et uniformiter, in creaturis est multipliciter et divisim. Unde perfectius participat divinam bonitatem et repraesentat eam totum universum, quam alia quaecumque creatura particularis; ideoque dicere oportet distinctionem et multitudinem rerum esse ex intentione primi agentis, quod est Deus.

8. — Auctoritas Scripturae. — Quia autem ex divina sapientia est causa distinctionis rerum, ideo Moyses dicit res esse distinctas verbo Dei, quod est conceptio sapientiae, iuxta illud [1]: *Dixit Deus: Fiat lux... Et divisit lucem a tenebris.* Et rursus [2]: *Fecit Deus caelum et terram, et mare, et omnia quae in eis sunt.* Legimus quoque in Ecclesiastico [3]: *In iudicio Dei opera eius ab initio, et ab institutione ipsorum, distinxit partes illorum et initia eorum in gentibus suis.*

9. — Patres. — Ex Patribus, praestat audire Origenem, qui ait [4]: *Opinor sicut domus et navis fabricatur vel aedificatur iuxta figuras et formas mentibus eorum, qui structurae praesident, conceptas, domo navique principium sumentibus ab iis figuris et rationibus quae sunt in artifice: sic universa facta fuisse iuxta rerum futurarum rationes, iam antea a Deo manifestatas in sapientia. Omnia enim in sapientia fecit.* Pariter, Tertullianus [5]: *Deus unus est; qui totam molem istam cum omni istrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo iussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit.* S. quoque Augustinus [6]: *Quis autem religiosus non profiteatur omnia quae sunt, id est, quaecumque in suo genere pro-*

[1] Gen., I, 3, 4. — [2] Exod., XX, 11. — [3] XVI, 26. Cf. Ps. CXLV, 6; Is., XLV, 6, seq.; Esther, XIII, 9, 10: Act., IV, 24; XIV, 24. — [4] Com. in Ioan., t. I, n. 22, ad illud: *In principio erat Verbum.* — [5] Apologet., c. 17. — [6] L. LXXXIII, Quaest. q. XLVI, n. 2.

pria quadam natura continentur, ut sint, Deo auctore esse procreata...? Quo constituto atque concesso, quis audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisse? Quod si recte dici et credi non potest, restat ut omnia ratione sint condita; nec eadem ratione homo qua equus, hoc enim absurdum est existimare. Singula igitur propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes ubi arbitrandum est esse nisi in mente creatoris?

10. — **Exponitur.** — Potest huius rei exemplum inveniri in sole, cuius semel tantum imago reproducitur, si quidem ex adverso sui unum tantummodo speculum habeat: quod si frangatur speculum, toties reproducetur imago solis, quot sunt fragmenta. Pariter lux alba, cum per prisma transit, in colores iridis decomponitur. Denique, multas nos paginas scribimus, quo fidelius vel unum conceptum exprimamus. — Pulcre veritatem hanc Alighierius exposuit [1]:

Vedi l'eccelso omai e la larghezza
Dell'eterno valor, poscia che tanti
Speculi fatti s'ha, in che si spezza,
Uno manendo in sè, come davanti.

11. — **Solvuntur difficultates.** — I. α) Ille qui est agens maxime unus, β) causa exemplaris maxime una, γ) ultimus finis, non est causa distinctionis et multitudinis rerum. Atqui Deus est α) agens maxime unus, β) causa exemplaris maxime una, γ) ultimus finis omnium. Ergo Deus non est causa distinctionis et multitudinis rerum. — Ratio *maioris* est α) quia unum semper natum est facere unum; β) exemplatum respondet exemplari; γ) quae sunt ad finem proportionantur fini.

Resp. *Dist. mai.*: α) agens naturale, *conc.;* voluntarium, *nego;* β) perfecte repraesentata per exemplatum, *conc.;* imperfecte, *nego;* γ) qui adaequatur medio, *conc.*; qui non adaequatur, *nego. Contradist. min.*, in eodem sensu. *Nego conseq. et conseq.*

Dicendum igitur α) aliud esse agens per naturam, aliud agens voluntarium; et primum quidem agit per formam per

[1] Parad., cant. XXIX, vv. 142, seq.

quam est, quae unius tantum est una, et ideo agens naturale non facit nisi unum; aliud autem agit per formam intellectam; et quia forma intellecta potest esse in uno multiplex, ideo agens per intellectum potest facere plura; et sicut non repugnat eius simplicitati plura intelligere, ita plura potest facere absque praeiudicio suae unitatis [1].

β) Pariter. si quod exemplatum perfecte repraesentet exemplar, ipsum non multiplicatur, nisi materialiter, unde imago increata, quae est Filius, qui perfecte repraesentat Patrem, est una tantum. Sed nulla creatura perfecte repraesentat exemplar primum, quod est divina essentia: et ideo haec potest per multa repraesentari. Quod si divina essentia consideretur non absolute, sed ut est sic vel sic imitabilis, tunc secundum hunc respectum, sunt multae ideae in Deo, quibus ad amussim correspondent res mundanae [2].

γ) Cum nulla creatura divinam adaequet bonitatem, hinc necesse est multas creaturas dari, quatenus defectum unius in divinam bonitatem repraesentando, altera suppleat. Nam ita se habet finis in operativis, sicut conclusio in speculativis: unde, sicut ad probandam conclusionem, licet dentur plura media probabilia, unum tamen tantummodo est medium eamdem perfecte probans; ita quia nulla creatura adaequat finem, qui Deus est, ideo oportuit creaturas multiplicari [3].

Articulus II. — *Utrum inaequalitas rerum sit a Deo.*

I. — Quanti momenti sit praesens doctrina facienda. — Ostensa modo propria origine distinctionis et multitudinis rerum mundanarum, sequitur ut de earum inaequalitate sermo instituatur: magnam enim cernimus, in tanta rerum copia, varietatem et inaequalitatem, non secundum gradum tantummodo, sed etiam secundum species et genera. — Quanti sit momenti praesens disputatio, clare apparet tum ex tam late diffuso errore Origenis, tum ex perversis praesentis aevi doctrinis, praestitutum rerum ordinem susque deque vertere nitentibus.

[1] Ad 1[m]. — [2] Ad 2[m]. — [3] Ad 3[m].

2. — **Solvitur tacita obiectio.** — Ubi statim solvi debet dubitatio, quasi a Deo, qui est maxime unus, et a quo aequalitas proprie procedit, non potuerit ortum habere inaequalitas rerum: nam, utique, primum quod procedit ab unitate est aequalitas, et sic a Patre processit Filius cui appropriatur aequalitas; at dein processit multiplicitas creaturarum, cui competit inaequalitas, licet in his quoque sit quaedam aequalitatis participatio, scilicet secundum proportionem [1].

3. — **Origenis vanum figmentum.** — Imprimis, recensendum est hic, tanquam proprio loco, vanum Origenis figmentum, quod populorum, maxime Orientis, mentes tanta frequentia pervasit, ut eum censeamus a vero haud longe discedere, qui asseruerit Indorum tam late diffusa de transmigratione animarum placita, ex Alexandrini doctoris schola ortum primitus habuisse.

Nimirum volens Origenes [2] excludere antiquorum haereticorum errores, qui ostendere nitebantur diversas naturas esse in rebus ex contrarietate principiorum boni et mali, posuit omnia a Deo creata fuisse in principio aequalia: quam opinionem tribus explicabat dictis. — Primo, Deus in principio creavit creaturas rationales seu intellectuales tantum, quas omnes creavit aequales. Secundo, in his quaedam per liberum arbitrium Deo, plus minusve, adhaeserunt; quaedam vero ab eo, plus minusve, recesserunt. Tertio, ex ordine divinae iustitiae evenit ut, pro meritorum diversitate, diversi in ipsis gradus orirentur, ita ut quaedam ad diversos ordines angelorum promoverentur, illae scilicet quae ad Deum sunt conversae; quaedam vero, illae nempe quae sunt a Deo aversae, corporibus diversis alligarentur, et hoc secundum diversitatem peccatorum, ita ut nobiliores nobilioribus, et viliores vilioribus corporibus alligarentur. Hanc ergo posuit Origenes rationem et causam creationis et inaequalitatis corporum.

Quantum sententia haec, quam ex Platonis doctrina mutuatus erat Origenes, poetis arriserit, videre est in ele-

[1] Ad 2[m]. — [2] L. I, περὶ Ἀρχῶν, c. 1, 9.

gantissimo libro sexto Virgilii, ubi describit patrem Anchisam dum

convalle virenti
Inclusas animas superumque ad lumen ituras
Lustrabat studio recolens, omnemque suorum
Forte recensebat numerum carosque nepotes
Fataque fortunasque virûm moresque manusque [1].

4. — Reprobatur Origenis sententia. — Circa hanc sententiam, advertimus quod si esset vera, sequeretur quod universitas creaturarum corporalium non esset propter bonitatem Dei communicandam creaturis, sed ad puniendum peccatum. Quod est contra illud quod dicitur [2]: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona.* Et S. Augustinus ait [3]: *Quid autem stultius dici potest, quam istum solem, ut in uno mundo unus esset, non decori pulcritudinis, vel etiam saluti rerum corporalium consuluisse artificem Deum; sed hoc potius evenisse, quia una anima sic peccaverat, ut tali corpore mereretur includi? Ac per hoc si contigisset, ut non una, sed duae, imo, non duae, sed decem, vel centum, similiter aequaliterque peccassent, centum soles haberet hic mundus?* — Igitur, sit

5. — PROP. — Sicut divina sapientia est causa distinctionis rerum, propter perfectionem universi, ita et inaequalitatis.

6. — Sacra Scriptura. — Veritas haec dici potest adumbrata in istis verbis S. Scripturae [4]: *Quare dies diem superat, et iterum lux lucem, et annus annum a sole? A Domini scientia separati sunt... Quasi lutum figuli in manu ipsius, plasmare illud et disponere. Omnes viae eius secundum dispositionem eius.*

7. — Prob. — Ille qui est causa distinctionis principalis rerum, est etiam causa inaequalitatis earumdem. Atqui Deus est causa principalis distinctionis rerum. Ergo Deus est causa etiam inaequalitatis earumdem.

[1] Virg., Aen., l.VI, v. 680, seq. Cf. v. 724. seq. — [2] Gen., I, 31. — [3] L. XI de Civit. Dei, cap. 23, t. VII, col. 290. — [4] Eccl., XXXIII, 7, 8, 13, 14.

8. — **Exponitur.** — Duplex distinctio invenitur in rebus: altera est formalis, qua scilicet res specifice differunt; altera vero est materialis, quae reperitur in his quae differunt numero tantum. Differt autem distinctio formalis a materiali ex duplici capite. Primo, quia ipsa distinctio specifica sive formalis, est principalior, quam distinctio materialis: sicut enim materia est propter formam, ita distinctio materialis est propter formalem. Quocirca videmus quod in rebus incorruptibilibus non est nisi unum individuum unius speciei, quia species sufficienter conservatur in uno: dum in rebus generabilibus et corruptibilibus sunt multa individua unius speciei ad conservationem speciei. Patet ergo materialem distinctionem esse tantum propter formalem, et esse minus principalem, quam formalem.

Secundo, distinctio formalis differt a materiali, in quantum haec non requirit inaequalitatem in rebus distinctis, sunt enim omnes homines aequales in perfectione essentiali naturae, et similiter individua aliarum specierum; distinctio formalis autem semper requirit inaequalitatem, quia formae rerum sunt sicut numeri, in quibus species variantur per additionem vel subtractionem unitatis, sicut videmus in fauna et flora. Unde in rebus naturalibus gradatim species ordinatae esse videntur; sicut mixta perfectiora sunt elementis, et plantae corporibus mineralibus, et animalia plantis, et homines aliis animalibus, et in singulis horum una species perfectior alia reperitur. Ergo in rerum inaequalitate consistit perfectio universi: non enim universum esset perfectum, si tantum unus gradus bonitatis inveniretur in rebus, quod esset, si res non essent inaequales. Sicut ergo distinctio rerum causam habet divinam sapientiam, ita inaequalitas earum repetenda est ab ipso Deo.

9. — **Norma Dei in mensurandis gradibus perfectionis creaturarum.** — Si quis autem requirere velit normam quam Deus secutus est in mensurandis diversis gradibus perfectionum quas diversis creaturis communicavit, erronee profecto diversa assignaret earumdem merita, cum in prima hac inaequali rerum distributione, respectum non habuerit nisi ad altissimam, sapientissimam et iustissimam suam voluntatem.

Sicut enim artifex, ait Angelicus [1], *eiusdem generis lapides in diversis partibus aedificii ponit absque iniustitia, non propter aliquam diversitatem in lapidibus praecedentem, sed attendens ad perfectionem totius aedificii, quae non esset, nisi lapides diversimode in aedificio collocarentur, sic et Deus a principio, ut esset perfectio in universo, diversas et inaequales creaturas instituit secundum suam sapientiam absque iniustitia, nulla tamen praesupposita meritorum diversitate.* — Cui consonant isti versus Aligherii [2]:

La gloria di Colui che tutto muove
Per l'universo penetra e risplende,
In una parte più e meno altrove.

10. — Difficultas. — Dare inaequalia aequalibus non est iustum. Atqui Deus est maxime iustus. Ergo non dedit aequalibus inaequalia, seu non est causa inaequalitatis rerum.

Resp. *Dist. mai.:* in retributione praemiorum, *conc.;* in prima rerum constitutione, *nego*, *Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Ex consideratione ista, ait Angelicus [3], motus fuit Origenes [4] ad repetendam inaequalitatem rerum originaliter non ex Deo, sed ex ipsis creaturis. At si quis rem bene perpendat, facile deprehendet Doctoris Alexandrini argumentationem valere solummodo pro retributione praemiorum, in qua attenditur ut inaequalia merita praemiis inaequalibus coronentur. In prima vero constitutione rerum, non potuit esse inaequalitas meritorum, aut etiam inaequalitas dispositionis materiae, quae darent originem inaequalitati sive sortium, sive partium: sed ad integrandum mundum hunc adspectabilem, debuit Deus diversitatem rerum constituere: quemadmodum artifex volens domum aedificare, intendit diversam formam dare fundamentis, parietibus et tecto, non quia diversam habeat in sua dispositione materiam: quinimmo et ipsam materiam sic diversam faceret, si posset.

11. — Scholion. — Perperam quis, ex hac doctrina inferret, gloriam aeternam, seu gaudium aeternum, unicuique

[1] 1, Quaest., LXV, art. 2, ad 3[m]. — [2] Parad., cant. I, v. 1, seq. — [3] Ad 3[m]. — [4] L. cit., c. 7.

non iuxta sua merita dari: etenim merita ista, simul cum qualitatibus naturae et gratiae uniuscuiusque individui, et consequenter una cum praemio aeterno, sunt praefinita in ordine divinae Providentiae, quae hominem, salva eius libertate, efficacissime movet.

12. — Quonam sensu sit optimismus in mundo agnoscendus. — Ex doctrina S. Thomae hic posita hauriri potest solutio dubii quod inquirentium animos angere solet, nimirum qua ratione sit mundus praesens praedicandus optimus. Dicendum ergo, optimismum esse in mundo, non iam attenta unaquaque parte individuatim, sed proportione omnium partium ad totum, quatenus scilicet, ex omnibus creaturis resultat totum illud quod Dei attributa melius manifestare possit: melius, inquam, non absolute, sed ex Dei praeordinatione, cum non sint limites ponendi potentiae divinae. — Optimi quippe agentis, sic argumentatur Angelicus [1], est producere totum effectum suum optimum, non ita tamen quod quamlibet partem totius faciat optimam simpliciter, sed optimam secundum proportionem ad totum: tolleretur enim bonitas animalis, si quaelibet pars eius haberet dignitatem oculi. Sic igitur et Deus totum universum constituit optimum secundum modum creaturae, non autem singulas creaturas, sed unam alia meliorem: et ideo de singulis creaturis dicitur [2]: *Vidit Deus lucem, quod esset bona*, et similiter de singulis; sed de omnibus simul dicitur [3]: *Vidit Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona.*

Articulus III. — *Utrum sit unus mundus tantum.*

1. — Quid sibi velit esse unum mundum tantum. — Cum quaeritur utrum sit unus mundus tantum, dubium non est de quibusdam partibus huius universi, quae nos lateant, puta, de systematibus planetariis quae hucusque scientia physica nondum explorata maneant: haec enim, ex hypothesi, ad hunc mundum pertinere ponuntur. Pariter, per

[1] Ad 1[m]. — [2] Gen., I, 4. — [3] Ibid., 31.

mundum hic non intelligimus terram nostram aut systema solare nostrum, aut tantummodo res visibiles huius universi. Sed nec hic potest esse sermo de mundo independente a Deo, cum iam probatum maneat omnia quae sunt, de necessitate Deum habere auctorem. Est igitur quaestio utrum, praeter complexum omnium rerum, visibilium et invisibilium, rationalium et irrationalium, in terra aut in caelo existentium, quibus mundus noster coalescit, aliud detur mundanum systema, quod in se perfecte complexum et ordinatum, nullam tamen ad mundum nostrum relationem habeat.

2. — PROP. — **Est unus mundus tantum.**

3. — **Prob.** — Omnia ea quae ordinem habent ad invicem, pertinent tantummodo ad unum. Atqui omnia quae sunt a Deo creata, habent ordinem ad invicem et ad ipsum Deum. Ergo omnia pertinent ad unum mundum tantum.

4. — **Explicatur.** — Equidem, inconveniens est dicere quod Deus res sine ratione condiderit, ut observat S. Augustinus [3]. Ergo omnia dici debent esse ordinata, et quidem uno ordine et ad unum. Quapropter Aristoteles [2] ex unitate ordinis in rebus existentis, concludit unitatem Dei gubernantis, et Plato [3], ex unitate exemplaris, probat unitatem mundi, quasi exemplati [4]. Ergo necesse est dicere omnia ad unum mundum pertinere. Et propterea S. Ioannes singulariter mundum nominavit, cum dixit [5]: *Mundus per ipsum factus est*, quasi uno mundo existente.

5. — **Corollarium.** — Ex hoc sequitur, illos tantum philosophos potuisse plures mundos ponere, qui non posuerunt causam mundi aliquam sapientiam ordinantem, sed casum, ut fecit Democritus, qui edixit, ex concursu atomorum factos fuisse mundos infinitos, cui simile est quod docent hodierni evolutionistae. Qui autem causam ordinantem admiserunt, unum tantum mundum ponere potuerunt, quia ordinata ad invicem non possunt nisi ad unum spectare.

[1] L. LXXXIII Quaest., quaest. XLVI. — [2] L. XII Metaphysic., t. 52. — [3] In Timaeo. — [4] Ad 1[m]. — [5] Io., I, 10.

6. — **Solvitur difficultas.** — Deus facit quod est melius. Atqui melius est plures esse mundos, quam unum. Ergo a Deo producti sunt plures mundi.

Resp. *Dist. mai.*: attento fine a Deo sibi praestituto, *conc.*; absolute, *nego. Dist. min.*: materialiter loquendo, *transeat*; formaliter, *nego. Nego conseq. et conseq.* — Non ita agit Deus, ut quae meliora sint, absolute loquendo, facere velit: semper enim, dato aliquo effectu, effectus melior fieri potest; sed Deus producit melius attento fine sibi praestituto, scilicet, ad manifestationem suae bonitatis, sapientiae, et potentiae. Iamvero, nihil conferret ad manifestationem attributorum divinorum creatio multorum independentium mundorum: primo enim dici posset, dato quod Deus duos fecisset, facere potuisset tres, quatuor et sic usque in infinitum: infinitum autem reprobat rationi finis. Rursus, ex materiali ista mundorum multiplicatione non maior Deo gloria daretur, quia quidquid posset fingi perfectionis in istis mundis, in hoc uno mundo collocari posset [1].

7. — **Scholion.** — Quod hic [2] habet S. Thomas, possibile non esse aliam terram existere quam istam. quia omnis terra ferretur naturaliter ad hoc medium, ubicumque esset, accipiendum est sub luce systematis geocentrici: potest tamen et ad systema heliocentricum extendi, hoc sensu quod, quidquid fingatur a Deo de novo creari, ex quo posset quis imaginari novum mundum exsurgere, in hoc uno mundo a Deo potest poni. Ex quo sequitur quod, etsi absolute non repugnet plures mundos esse, repugnat tamen sapientiae divinae. Quocirca, ii tantum, qui non considerant nihil Deum absque altissimo fine facere, et proinde in omnibus suis operibus unitatem propositi impressisse, imaginationem possunt pascere circa existentiam mundorum, quibuscum mundus noster nullam habeat relationem.

8. — **Conclusio.** — Ex dictis liquido constat, mundorum pluralitatem, sensu superius explicato, nonnisi ab iis, vel tanquam rem probabilem, posse concedi, qui in suis specu-

[1] Ad 2[m]. — [2] Ad 3[m].

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

lationibus abstrahunt a sapientia divina. Atqui id fieri sacra theologia in tantum prohibetur, in quantum sapientia et cetera Dei attributa sunt unum cum divina Essentia; ideoque nefas est, in consideratione attributorum divinorum, ab istis abstrahere: nihil quippe Deus facit aut facere potest, nisi bonitate impellente, sapientia dirigente, et potentia exequente [1].

[1] Quae cum ita sint, subscribere nequimus huic sententiae P. de Hummelauer (Nochmals der Biblische Schöpfungsbericht, Freiburg in Breisgau, 1898, p. 7): *Ob Gott vorher andere Welten geschaffen, darüber erhalten wir keinen Aufschluss, das hat auch keine Bedeutung für die Vorgeschichte Israels... War die Welt in eben diesem Zustand geschaffen? oder trat der Zustand etwa erst ungemessene Zeiträume nach der Erschaffung ein, ward er etwa durch die Zerstörung einer frühern Welt mit all ihrer Ordnung und all ihrem Schmuck herbeigeführt? Davon schweigt die Schrift, davon schweige der Exeget* (p. 10).

APPENDIX.

Utrum corpora caelestia sint habitata.

1. — **Ratio quaesiti.** — Quod corpora caelestia, saltem plura ex ipsis, ab incolis, anima et corpore quodam donatis, frequententur, ab antiquis quidem philosophis naturalibus vix aut ne vix quidem considerationi habitum est, a recentioribus autem, maxime post adinventum telescopium, tanquam opinio poetice pulcherrima, in re vero verificabilis et forsan verificata, alacriter susceptum est. Nimirum, etsi experientia et scientificae investigationes nullo modo opinioni huic faveant, nihilominus ex aliorum planetarnm cum terra nostra affinitate, ex eorum motu circa solem simulque circa proprium axem, ex regulari successione dierum ac noctium, atque ex lege gravitationis cui aeque omnia obediunt, inducti sunt multi ad inferendam, tanquam valde probabilem sententiam, incolas in caelestibus corporibus inveniri, qui, etsi nobis fors dissimiles, vitae tamen rationalis participes existunt.

2. — **Praenotandum.** — Videri forsan alicui poterit quaestio haec, pro philosophia aeque ac theologia, ἀδιάφορα, seu indiferens, ideoque posse aequa lance in utramque partem agitari. At, si res bene perpendatur, talis sententia non solum susque deque vertit doctrinam traditionalem de natura animae rationalis et constitutione hominis, sed etiam ictum infert letalem dedosito revelationis.

3. — PROP. — **Nequit opinio sustineri, quae tenet caelestia corpora ab incolis ratione et corpore praeditis frequentari.**

4. — **Sacra Scriptura.** — Imprimis, quod alii existant homines a genere nostro diversi, in Sacra Scriptura excluditur

his verbis [1]: *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae*; et rursus [2]: *Omnes homines de solo, et ex terra unde creatus est Adam*: ubi notanda est universalitas utriusque propositionis, *omne genus hominum, omnes homines*; pariter universalitas causae materialis, cum dicitur, *de solo, ex terra*.

5. — **Auctoritas Ecclesiae.** — A S. Zacharia Papa, in epistola directa ad S. Bonifacium Mogontinum, genuo, anno Domini 748 diretta, damnata fuit sententia admittens, in alio mundo, genus hominum originis diversae ab origine aliorum hominum. Nimirum, cum praesul iste denuntiasset Summo Pontifici sacerdotem quemdam, nomine Virgilium, qui docebat *quod alius mundus et alii homines sub terra sint, seu sol et luna*. Pontifex archiepiscopo iniunxit ut certiorem se faceret, utrum revera dictus Virgilius tam perversam doctrinam docuisset: quod si ita fuisset, illum debebat ab Ecclesia pellere, imo sacerdotii honore privare [3].

6. — **Ratio theol.** — Ex articulo proxime expenso habitum est, hoc ad unitatem mundi pertinere, ut eius partes ad invicem colligentur atque referantur: id exigente ordine divinae sapientiae. Atqui hoc maxime verum esse debet relate ad hominum genus, quod ideo Deus per tot generationes conservat, quo, mediis scientiarum progressibus homo mundum melius cognoscere, et sic Deum ipsum amplius pro suo mirabili opere laudare valeat. At vero, quomodo concipi potest hominem iam in terra tamdiu vixisse, quin aliquid de suis congeneribus nihil omnino resciret?

Age vero, aut creaturae rationales, quae ponuntur aliquod ex caelestibus corporibus incolere, sunt, sicut nos, elevatae ad ordinem gratiae et gloriae, aut non. Si primum, non est certe existimandum Deum, qui spirituum angelicorum naturae licet a nostra dissimilis, existentiam et officia erga nos revelavit, nil de illis hominibus, qui bis nobis fratres essent, natura scilicet et gratia, manifestasse; si secun-

[1] Act., XVII, 26. — [2] Eccli., XXXIII, 10. — [3] Mansi, t. XII, col. 342.

dum, idipsum quoque nobis pandi debuisset, quatenus Deum magis laudare et amare possemus pro beneficio elevationis nobis concesso, illis vero denegato; ceterum Christus, qui dedit Apostolis suis cognitionem mysterii regni caelorum [1], non debuisset nos celare talium hominum existentiam, ex qua re argumentum sumere possemus ampliores gratias pro acceptis beneficiis Deo reddendi [2].

7. — Confirmatur ex nominis constitutione. — Quia autem praecipua ratio fautorum habitabilitatis caelestium orbium ex hoc desumitur, quod censent hominem, quem cognoscimus, qui in hoc planata degit, non repraesentare omnes humanitatis typos, sed dari posse, intra humanam speciem, individua ab iis, quae cognoscimus, valde diversa [3], hinc modo in eo insistendum erit, quod ad hominis constitutionem pertinere novimus.

Ex philosophia accipimus, animam humanam ita esse formam corporis, ut hoc ad illam ordinetur tanquam ad finem, anima vero naturalem inclinationem habeat, non ad qualemcumque speciem corporis, sed ad proprium corpus, cuius tanquam impressionem in se ipsa gerit, adeo ut sibi mutuo anima et corpus respondeant. Corpus autem congrue

[1] Matth., XIII, 11. — [2] Ex hoc apparet, leviter nimis, celebrem scriptorem, Iosephum de Maistre, in opere *Eclaircissement sur les sacrifices*, c. III, sequentia scriptitasse: *Je ne puis assez m'étonner des scrupules étranges de certains théologiens qui se refusent à l'hypothèse de la pluralité des mondes, de peur qu'elle n'ébranle le dogme de la rédemption: c'est à dire que, suivant eux, nous devons croire que l'homme, voyageant dans l'espace sur sa triste planète, misérablement gênée entre Mars et Vénus, est le seul être intelligent du système, et que les autres planètes ne sont que des globes sans vie et sans beauté, que le Créateur a lancés dans l'espace, pour s'amuser apparemment comme un joueur de boules.* — [3] Sic quaerebat Ierem. Bonomelli, in op. Seguiam la ragione, Conf. VII, p. 112. Milano, 1898: *Perchè quei corpi celesti, disseminati nell'immensità dello spazio, non sarebbero abitati da esseri viventi ragionevoli, ancorchè per natura da noi diversissimi?* Pariter, scribebat J. S. Vaughan, in Irish Eccles. Record, Febr., 1903, p. 133: *I think it extremely important, to begin with, that we should distinguish between the rational animal* Man, *and other unknown, yet hypothetical and possible rational animals.*

ex elementis temperatum est, ut animae inserviat in scientiae acquisitione, et homo per suos quinque sensus perveniat aliquo modo ad cognitionem universi. Quocirca Deus instituit corpus humanum in optima dispositione, secundum convenientiam ad talem formam, id est, animam, et ad eius operationes [1].

Iamvero, qui confingunt in astris adesse incolas, coguntur talia corpora introducere, quae nedum animae exigentiae respondeant, monstra potius videntur esse, risum moventia [2].

8. — Vana delirantium somnia. — Enimvero, credibile vix est quousque vanis ac omnino ridiculis somniis indulserit, hac in re, phreneticans scriptorum, de quibus loquimur, imaginatio, dum, puta, mundum aliquem existere supponunt, ubi animae, sponte ac libere, de uno corpore ad aliud transmigrant, quin morti subiaceant; ubi homo sensibus a nostris omnino diversis munitur, aut ei suppetit sextus sensus, quem vocant autotelegraphicum, quo cogitatio unius in fronte velut insculpta legatur; aut ubi homines, tanquam levissimae libellulae, huc illucque circumvolitant, aut chrysallidum instar, e ramis arborum pendentes, somno indulgent, surrecturi postea in alatos papiliones; aut ubi eadem individua tam potenti oculorum acie donata finguntur, ut tanquam fulmine ferire et humi deiicere homines possint; aut denique censentur in arboribus et plantis animae humanae vivere, quemadmodum poetae Vigilius [3] et Dantes [4] commenti sunt.

9. — Radix huiusmodi errorum. — Sane, blasphemiae proximae sunt voces istae, quibus originem dat superbus ille sacrae Doctrinae despectus, quem multi hodiedum, in veritatis detrimentum, affectant. Fundantur enim vana ista fig-

[1] Tract. n. DE PRIMA HOMINIS FORMATIONE, Quaest. XCI, art. 3, nn. 2, seq., p. 82. — [2] Cf. quae scribebat FABANI, L'abitabilità dei mondi, c. IX, pp. 88, seq., cuius verba retulimus in Op. L'OPERA DEI SEI GIORNI, P. I, c. VII, n. 20, pp. 314, seq. — [3] Aeneid., l. III, v. 22, seq. — [4] Inf., can. XIII, 37, seq.

menta super systema evolutionis specierum, quo, formarum ratione neglecta, supponitur materia inorganica, sub actione solius motus mechanici, lento progressu evolvi, ac limites tolluntur inter regnum minerale et varios viventium, vegetabilium, sensibilium, rationabilium ordines, permixtis eorumdem proprietatibus. — Nec minus reprobatione digna est theoria illa de formarum mutabilitate, qua via sternitur maxime peregrinis conceptibus circa hominem, et qua susque deque vertitur intentio Conditoris. Certe mirandum valde est, auctores, quos improbamus, tam facile admittere huius generis vanas et antiphilosophicas conceptiones, ut est, puta, transmigratio animarum, introductio novorum sensuum, communicatio cogitationum, etc.

10. — Solvuntur difficultates. — I. Obiicienti longe pulcriora et nobiliora esse corpora caelestia prae ista nostra terra, eaque inutilia fere videri, nisi rationalium creaturarum habitationi inserviant, - - respondetur *primo*, apparenti isti pulcritudini ac nobilitati minime respondere congruentiam conditionum climatis et atmospherae, quibus ne vita quidem vegetativa surgere et ali potest, ut ex astronomis hodiernis sapientiores testantur [1].

Secundo, non inutiliter positi sunt in caelo splendentes illi orbes, etiamsi creaturarum rationalium habitationi non deputentur. Nimirum, sat proportionato fine donantur, dum mentem nostram erigunt in contemplationem divinae sapientiae, quae illos tam mirabiliter in spatiis caelestibus libravit, necnon divinae infinitatis, cum loco effectus infiniti, qui impossibilis evadit, condiderit Deus immensa illa corpora, quae nobis quidem infinita et mole et numero videntur,

[1] Digna sunt quae hac super re recenseantur verba Galilei Galilei: *Che nella Luna o in un altro pianeta si generino o erbe, o piante, o animali simili ai nostri, o vi si facciano pioggie, venti, tuoni, come intorno alla terra, io non lo so e non lo credo; e molto meno, che ella sia abitata da uomini.* Dialogo de' Massimi sistemi. Giornata prima, Opp. T. I. Firenze, 1842, p. 70. — Alibi dicit etiam: *Per necessaria conseguenza si conclude, nessuna delle cose che tra noi, cioè in terra, si ritrovano, poter prodursi e ritrovarsi nel globo lunare.* Lettera al Duca Don Giacomo Muti. Opp. T. III, p. 175.

et sic nos quoque manuducunt in agnitionem immensae bonitatis Dei, qui, licet sit tam altus, non tamen dedignatur se patrem nostrum, imo et fratrem et amicum denominare. Ceterum, non inutiliter micant in firmamento illi orbes, ex quibus facile nobis est arguere existentiam splendentium spirituum angelicorum, qui illis praesunt ad maiorem gloriam Conditoris universi; unde exclamare possumus cum regio Psalte [1]: *Caeli enarrant gloriam Dei, et opera manum eius annuntiat firmamentum.*

II. Obiiciunt quoque terram nostram minime centrum esse systematis nostri planetarii, ideoque cum terra nostra a creaturis rationalibus habitetur, a fortiori inferendum esse corpus illud, ad quod omnia convergunt, debere etiam hominum incolatui destinari. — At ratio haec nulla est: quandoquidem et hoc in animalium corporibus cernimus, organum principale, id est cor aut cerebrum, in corporis centro minime collocari: sed et in nationibus saepe evenit, urbem principem non in centro regionis inveniri. Ex quo autem Deo placuit terram hanc pro hominis habitatione seligere eamque conditionibus ad vitam animalem fovendam necessariis locupletare, in nullo aliis orbibus derogavit, cum, ut diximus, prima rerum inaequalitas sit a Deo repetenda.

II. — **Conclusio**. — Ex his quae hucusque disseruimus, concludere licet, tum caelestes orbes incolis, quibus terra nostra frequentatur, carere; tum totam ordinis supernaturalis rationem ad angelos et nos exclusive pertinere; tum universum redemptionis ordinem nos ita respicere, ut Verbum Incarnatum noster Dominus et Pater vere sit et dicatur: unde suppositio de astricolis figmentum est, nedum fundamento destitutum, sed etiam aleae plenum, quod nequit in dogmatis catholici detrimentum non redundare.

[1] Ps. XVIII, 2.

QUAESTIO QUINTA.

(XLVIII).

DE DISTINCTIONE BONI ET MALI.

Prologus.

1. — **Existentia mali in mundo.** — Inter problemata quae mentem humanam acrius agitare solent, eminet quaestio de existentia mali, tum physici, tum moralis, quo mundus totus contaminatus apparet. Enimvero, ut ad humanum genus nostram coarctemus considerationem, quis est quem pavor non teneat, dum cernit magnum illum morborum comitatum qui miseros mortales undequaque tenet; nimis frequentem carentiam necessariorum ad vitam sustentandam; iuventutem prudentia, senectutem fortitudine destitutam; mortem denique quae omnium malorum complementum est. Lugubrius adhuc malorum spectaculum exhibet ordo moralis, dum cernimus debilem animam tot internis anxietatibus opprimi, persecutiones ab adversariis, derelictionem ab amicis perpeti; hominem innocentem calumniis obrutum ac saepe, sine sua culpa, bona fama deorbatum. — Quae cum ita sint, patet quanti momenti sit argumentum de malo penitius rimari; quam rem S. Thomas, primum quidem in quaestionibus disputatis [1] et in Summa contra Gentiles [2] accurate discussam, postea, scilicet hoc loco, ordinatius ac magis ad scientificam methodum pertractavit, inquirens, primo, de distinctione boni et mali (XLVIII), et secundo, de causa mali (XLIX).

2. — **Adnotandum.** — Ad intelligentiam textus S. Thomae, in hac et sequenti quaestione, advertendum est illum,

[1] De Malo. — [2] L. III, cc. VII-XV.

pro sua methodi servandae sollicitudine, minime hic miscere quae in tractatu de peccatis in communi, et maxime de peccato originali, traduntur, de quibus postea tantum sermo recurret: unde, sicut animadvertere omittit, omnia mala quae sunt in mundo, sive physica, sive moralia, ex transgressionibus Angelorum et Adae primitus fuisse introducta, ita, ubi sermo est de distinctione inter malum poenae et malum culpae, quale in creatura rationali invenitur, praetermittit distinctionem inter culpam propriam et culpam alienam, cum tamen, multa mala sint poenae culpae alienae.

3. — **Ordo quaestionis.** — In priori igitur quaestione, debebit malum dupliciter considerari: primo, generaliter (1-4); secundo, specialiter, scilicet, attenta distinctione mali poenae a malo culpae (5-6). Generaliter autem consideratum, malum inspici debet, tum in seipso (1-3), tum relate ad bonum quod privat (4). In se vero malum considerari debet tum intrinsece (1), tum extrinsece (2-3): intrinsece, ut inquiratur utrum sit natura aut forma quaedam; extrinsece vero, tum secundum finem ad quem censeri potest ordinatum (2), tum secundum subiectum in quo invenitur (3). — Denique, malum specialiter inspectum, quod scilicet in creatura rationali invenitur, considerandum erit, tum absolute, scilicet, secundum differentiam mali poenae et culpae (5), tum relative, inspecta gravitate unius prae altero (6).



Quocirca, sex circa distinctionem boni et mali quaeruntur.
Primo. Utrum malum sit natura aliqua.
Secundo. Utrum malum inveniatur in rebus.
Tertio. Utrum bonum sit subiectum mali.
Quarto. Utrum malum totaliter corrumpat bonum.
Quinto. De divisione mali per poenam et culpam.
Sexto. Quid habeat plus de ratione mali, utrum poena vel culpa.

ARTICULUS I. — *Utrum malum sit natura quaedam.*

1. — **Ratio articuli** — Cum malum bono contrarium inveniatur, eadem vero, ut dici solet, sit contrariorum ratio, hinc prima exurgit quaestio, utrum malum, sicut bonum, habeat rationem naturae cuiusdam: quod eo vel magis asseri videretur, quia malum specifice a bono differt, ut, puta, habitus bonus ab habitu malo, ut liberalitas ab illiberalitate, temperantia ab intemperantia, etc. Crescit autem difficultas, quia malo actio quaedam attribuitur: dicitur enim quod malum corrumpit bonum; immo, ex auctoritate S. Augustini habemus quod non solum bonum, sed malum quoque pertinet ad mirabilem pulcritudinem totius universi [1]: et sicut umbrae, in tabula depicta, conferunt imaginis integritati, ita malum bene ordinatum et suo loco positum eminentius commendat bona. Ex quibus omnibus inferendum videretur, malum, non secus ac bonum, esse naturam quamdam.

2. — **Manichaeorum error.** — Sic igitur argumentabantur Manichaei, qui in hoc sequebantur Pythagoricos, malum existimantes esse naturam quamdam, unde ponebant bonum et malum esse duo distincta genera atque suprema rerum principia [2], lucis nempe, in quo omne bonum includitur, et tenebrarum, quae sunt totius mali origo. Equidem, error iste Assyriam, Chaldaeam atque Persiam iamdiu pervaserat, unde et ad Graecos derivatus fuerat. Videtur autem in Orientem totum paulatim fuisse diffusus, maxime apud Indos et Sinenses, penes quorum religionem illius derivationes deprehen-

[1] In Enchirid., cc. X, XI. — [2] Ad 1[m].

dere est. Europa quoque, media praesertim aetate, opera praesertim Catharorum et Albigensium, veneno isto infecta mansit. Manichaeorum vero tessera erat, virum perfectum triplicem debere ferre signaculum, scilicet *oris*, ut ab impuris caveat elementis; *manus*, ne res tangat elementis tenebrarum coinquinatas; *sinus*, ut se a copula et matrimonio abstineat.

3. — PROP. — **Non potest esse quod malum significet quoddam esse, aut quamdam formam seu naturam, sed tantummodo absentiam boni.**

4. — **Auctoritas.** — In Genesi legitur [1]: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona.* Rursus [2]: *Cuncta fecit bona in tempore suo;* iterum [3]: *Omnis creatura Dei bona est.* Similiter, auctor libri *de Divinis Nominibus* [4] dicit quod *malum non est existens,* scilicet per se, *nec aliquid in existentibus, quasi accidens, sicut albedo vel nigredo.*

5. — **Prob.** — Imprimis, cum lex sit, unum oppositorum per aliud cognosci, sicut per lucem tenebrae cognoscuntur, bonum autem et malum sint contraria, hinc per bonum, malum erit cognoscendum. Atqui, bonum est id quod est appetibile. Porro esse et perfectio cuiuslibet naturae habet rationem appetibilis, nam omnis natura appetit suum esse et suam perfectionem. Omnis ergo natura bona est, et consequenter malum non potest significare quoddam esse, aut naturam aliquam seu formam, sed tantummodo absentiam boni. Malum etiam significat negationem entis, scilicet, secundario, nempe in quantum ens habet rationem boni.

6. — **Malum non est constitutivum speciei in rebus naturalibus.** — Quoniam vero malum interdum dicitur constitutivum speciei, videndum est quonam sensu id asseri possit. Et primo quidem, in rebus naturalibus dicendum est, hoc esse falsum. Sic enim bonum et malum opponuntur, non contrarie, sed privative; praeterea, inter bonum et malum, sic accepta, non datur medium, nec a privatione ad habitum fieri potest regressus [5], sicut a falso ad verum.

[1] I, 31. — [2] Eccli., III, 11. — [3] 1 Tim., IV, 4. — [4] C. 4. — [5] Ad 2^{m}, et 3^{m}.

7. — Quo sensu malum est constitutivum speciei in moralibus. — In rebus moralibus vero, admittitur ut dicatur malum constitutivum speciei. Ratio est quia moralia recipiunt speciem ex fine qui est obiectum voluntatis, a quo moralia dependent. Quia vero bonum habet rationem finis, hinc bonum et malum sunt differentiae specificae in moralibus: bonum per se, malum vero in quantum est remotio debiti finis. — Attamen, ulterius considerandum est, dupliciter intelligi posse, malum esse constitutivum speciei in moralibus: uno modo, sic ut malum secundum se et in quantum huiusmodi, speciem constituat quod falsum est; alio modo, sic ut constituat speciem, in quantum malum significat aliquod bonum coniunctum cum privatione ulterius boni, et hoc verum est. Hoc sibivult quod remotio debiti finis in moralibus non constituit speciem, nisi ut coniungitur fini indebito, qui est quoddam bonum: sicut finis intemperati non est, carere bono rationis, sed est obiectum delectabile sensui absque ordinis ratione. Quocirca dicendum, etiam in moralibus, malum ipsum non esse differentiam constitutivam, sed bonum constituere speciem, quod tamen bonum dicitur malum propter adiunctam privationem debiti finis [1].

8. — Quaestio I. — *Utrum inter bonum et malum dari possit medium?*

Resp. In rebus naturalibus non datur medium inter bonum et malum; dari autem potest in moralibus, ita ut possit ab uno medio ad alterum medium regressus fieri. In moralibus enim bonum dicitur quod est ordinatum: malum vero dicitur id, quod non solum est deordinatum, sed quod etiam est alteri nocivum. Quod ergo est tantum deordinatum, sed non est alteri nocivum erit medium inter bonum et malum in moralibus: quo sensu Aristoteles dicit [2], quod *prodigus est quidem vanus, sed non malus*, quia scilicet prodigalitas eius alteri non nocet; ab hoc quoque malo potest regressus fieri ad bonum, sicut de incontinentia ad continentiam, quod non accidit in naturalibus: ex caecitate enim non fit reditus ad visionem, quae est quoddam malum [3].

[1] Ad 2[m]. — [2] In IV Ethic., cap. 11. — [3] Ad 3[m].

9. — Quaestio II. — *Qua ratione actio tribuitur malo?*

Resp. Quia autem quod agit, natura quaedam est, dictum est autem malum non esse naturam aliquam, hinc difficultas proponitur, quo pacto possit actio tribui malo, ut cum dicitur quod malum corrumpit bonum.

Ad quod intelligendum, observandum est quod aliquid dicitur agere tripliciter. Primo, formaliter, eo scilicet loquendi modo, quo albedo dicitur facere album; alio modo, effective, sicut dicimus quod pictor facit parietem album; tertio, per modum causae finalis, sicut dicimus quod finis facit agentem operari, seu movet agentem. — Ex parte autem mali, alia distinctio est praemittenda: nimirum, malum agere aliquo horum modorum, dupliciter potest intelligi: uno modo, sic ut agat per se; alio modo, sic ut agat per aliud, scilicet ratione boni adiuncti.

Quae cum ita sint, primo dicendum est quod malum agit formaliter per se: nam malum, etiam ratione ipsius privationis, formaliter dicitur corrumpere bonum, quia malum est ipsa corruptio seu privatio boni: attamen, ex hoc quod malum agit hoc modo, perperam inferretur illud esse naturam quamdam. Secundo et tertio modo, non potest aliquid agere, nisi sit natura quaedam: primo enim, agens nequit aliquid agere, nisi quatenus habet suam formam, cum omnis actio sit ab aliqua forma; rursus, finis non potest movere agentem, nisi sit saltem in intentione. Atqui malum non agit hisce modis per se, quia per se est infinitum, et praeter voluntatem et intentionem; ideoque non agit nisi per aliud, scilicet ratione boni adiuncti: non enim malum secundum se efficit aliquid, neque desideratur, nisi ratione boni, quod ei adiungitur [1].

10. — Quaestio III. — *Quo pacto malum spectat ad perfectionem universi?*

Resp. Non per se, sed per accidens. Quod enim spectat ad perfectionem universi per se, est natura quaedam, quae de se est bona; malum autem spectat per accidens ad perfectionem universi. Etenim, partes spectantes ad bonum

[1] Ad 4[m].

universi habent ordinem ad invicem, secundum quod una agit in alteram et est finis alterius et exemplar; malum autem ad perfectionem universi per se non pertinet, neque sub ordine universi concluditur. nisi per accidens, id est ratione boni adiuncti [1].

II. — **Quaestio IV.** — *Qua ratione, in libro Praedicamentorum, posuit Aristoteles malum, sicut bonum, esse genus quoddam* [2]*?*

Resp. Aristoteles, cum maxime in libris logicalibus consuesceret ponere exempla quae probabilia erant suo tempore secundum opinionem aliquorum philosophorum, ibi locutus est secundum opinionem Pythagoricorum, de qua supra diximus [3].

Posuerat quippe Pythagoras bonum et malum esse prima genera et prima principia, et decem contraria utrobique: sub bono, finitum, par, unum, dextrum, masculinum, quiescens, rectum, lucem, quadratum, et ultimo bonum; sub malo, infinitum, impar, plurale, sinistrum, femininum, motum, curvum, tenebrae, altera parte longius, et ultimo malum [4]. Dici etiam potest quod, pro tanto bonum et malum dicuntur genera, non simpliciter, sed contrariorum, quia cum semper unum contrariorum sit imperfectum respectu alterius, sicut nigrum respectu albi, et amarum respectu dulcis, sicut omnis forma habet rationem boni, ita omnis privatio, in quantum huiusmodi, habet rationem mali [5].

12. — **Solvitur difficultas.** — Negationes et privationes non suscipiunt magis et minus. Atqui, inter mala, unum invenitur altero peius. Ergo malum non est simplex negatio aut privatio, sed est res aliqua.

Resp. *Dist. mai.:* quasi aliquam essentiam habentes, *conc.;* per augmentum causae privantis, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Privationes non intenduntur, quasi aliquam essentiam habentes, sicut formae, sed per augmentum causae privantis: sicut aer tanto tenebrosior est, quanto plura fuerint interposita obstacula luci; sic enim longius a lucis participatione distat [6].

[1] Ad 5[m]. — [2] L. Praedicament., 10 de Oppos. — [3] N. 2. Cf. L. III Contra Gent., C. IX. — [4] Ad 1[m]. — [5] Contra Gent., l. c.

ARTICULUS II. — *Utrum malum inveniatur in rebus.*

1. — **Ratio articuli.** — Cum iam probatum maneat, malum non esse naturam quamdam, videretur illud in mundo esse non posse, cum in mundo non sint nisi entia. At, quod malum revera multipliciter sit in mundo, conclamat natura tota: quocirca, quaestio praesens non est tam de existentia mali, quam de ratione huius existentiae. — Ubi prius recolendum est, malum distare et ab ente simpliciter, et a non ente simpliciter, quia neque est sicut habitus, neque sicut pura negatio, sed sicut privatio [1].

2. — PROP. — **In rebus malum invenitur, sicut et corruptio.**

3. — **Prob.** — In hoc consistit ratio mali, ut scilicet aliquid deficiat a bono. Atqui, sicut perfectio universitatis rerum requirit ut non solum sint entia incorruptibilia, sed etiam corruptibilia; ita perfectio universi requirit, ut sint quaedam quae a bonitate deficere possint, ad quod sequitur ea interdum deficere: nam ipsa corruptio malum quoddam est. Ergo manifestum est, in rebus malum inveniri, sicut et corruptionem.

4. — **Explicatur.** — Ad quod intelligendum, recolendum est, perfectionem universi requirere ut sit inaequalitas in rebus, quatenus omnes bonitatis gradus impleantur. Atqui, est unus gradus bonitatis, ut aliquid sic bonum sit, ut a bono numquam deficere possit, ut sunt incorruptibilia, quae suum esse amittere non possunt. Alius autem bonitatis gradus est, ut aliquid sic bonum sit, quod a bono possit deficere: qualia sunt quae suum esse possunt amittere, ut res corruptibiles. Ultima igitur ratio mali in mundo ex rerum inaequalitate desumenda est. *A regarder le total*, scribit Bossuet [2], *rien n'est plus grand ni plus petit qu'il ne faut: ce qui semble défectueux d'un côté, sert à un autre ordre supérieur et plus caché que Dieu sait.*

[1] Ad 1[m]. — [2] POLIT. SACRÉE, l. VII, art. 6, prop. 16.

5. — **Quonam sensu dicitur malum esse.** — Sciendum autem non hoc sensu dici malum esse, quo modo esse seu ens significat entitatem rei prout dividitur per decem praedicamenta: sic enim nulla privatio est ens, unde nec malum; sed secundum quod significat veritatem propositionis, quae in compositione consistit, cuius nota est hoc verbum *est*, secundum quod respondetur quaestioni *an est*. Igitur, eo sensu dicitur malum esse in mundo, quo caecitatem dicimus esse in oculo vel tenebras in aere. Addit hic Angelicus, propter huius distinctionis ignorantiam, aliqui considerantes quod aliquae res dicuntur malae, vel quod malum dicitur esse in rebus, crediderunt malum esse rem quamdam [1].

6. — **Quaestio**. — *Quare malum Deus non tollit, sed permittit esse in mundo?*

Respondet S. Thomas [2], quod Deus, et natura, et quodcumque agens facit quod melius est in toto, sed non quod melius est in unaquaque parte, nisi per ordinem ad totum. Ipsum autem totum, quod est universitas creaturarum, melius et perfectius est, si in eo sint quaedam, quae a bono deficere possunt, quae interdum deficiunt, Deo hoc non impediente, quam si nulla creatura a bono deficeret. Imprimis enim, divinae Providentiae non est naturam destruere, sed salvare, ut ait auctor libri *de divinis Nominibus* [3]: atqui, ipsa rerum natura hoc habet, ut quae deficere possunt, quandoque deficiant. Sed specialiter considerandum est quod Deus, ut ait S. Augustinus [4], adeo potens est, quod etiam bene potest facere de malis: unde multa bona tollerentur, si Deus nullum malum permitteret esse: sicnon generaretur ignis, nisi corrumperetur aer, neque conservaretur vita leonis, nisi occideretur asinus. Pariter minime laudaretur iustitia vindicantis et patientia sufferentis, si non esset iniquitas persequentis.

Huc facit animadversio Senecae [5]: *Ego vero non miror, si quando impetum capit* (Deus) *spectandi magnos viros colluctantes cum aliqua calamitate... Ecce spectaculum dignum ad quod respiciat intentus operi suo Deus. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus.*

[1] Ad 2[m]. — [2] Ad 3[m]. — [3] C. 4. — [4] Enchir., cap. XI. — [5] De Provid., c. II.

Quisnam autem sit respectus divinae voluntatis ad mala; pariter, qualis sit ordo providentiae ad mala quae sunt in mundo, uberius disseruimus in tractatu *de pertinentibus ad divinam operationem* [1].

ARTICULUS III. — *Utrum malum sit in bono, sicut in subiecto.*

1. — **Praenotanda.** — Ad praesentis quaesiti intelligentiam, primo loco advertendum, est id quod interdum dicitur, malum non esse in existentibus, intelligendum esse hoc sensu, quod non sit in existentibus sicut pars, aut sicut proprietas naturalis alicuius existentis [2]. — Ulterius, recolendum venit, malum non esse simplicem negationem, quae quidem subiectum non requirit, sicut non visus: sed esse negationem in subiecto, sicut caecitas, quae non est nisi in subiecto visus capaci [3].

2. — PROP. — **Subiectum mali est bonum.**

3. — **Prob.** — Remotio boni privative et non negative est privatio quaedam. Atqui malum est remotio boni privative et non negative. Ergo malum est privatio. Atqui, sicut subiectum formae est bonum, ita etiam subiectum privationis est bonum. Ergo subiectum mali est bonum. Quocirca ait S. Augustinus [4] quod *malum non est nisi in bono.*

4. — **Exponitur.** — Quod malum sit privatio, ex hoc ostenditur quod importat remotionem boni. Remotio autem boni potest dupliciter sumi: uno modo, negative; alio modo privative. Porro, remotio boni negative accepta, non habet rationem mali, secus inferri deberet quod ea quae nullo modo sunt, mala essent, et iterum quod quaelibet res esset mala, ex hoc quod non habet bonum alterius rei, ut puta, quod homo esset malus quia non habet velocitatem caprae, vel fortitudinem leonis. Sed remotio boni privative accepta, malum dicitur, sicut privatio visus seu caecitas in homine [5].

[1] Quaest. XIX, art. 10, pp. 59, seq.; XXII, art. 2, n. 6, p. 322. — [2] Ad 1[m]. — [3] Ad 2[m]. — [4] Enchir., c. IV. — [5] Ex hoc patet quantum a vero distet theosophorum et spiritistarum de malo sententia,

5. — **Quomodo omne subiectum privationis est bonum.** — Attendendum autem est quod aliquid dicitur ens in potentia dupliciter: primo, quia est in potentia simpliciter, et sic materia prima est in potentia ad formam substantialem et ad eius privationem; secundo, aliquid dicitur in potentia secundum quid, et hoc est ens in actu simpliciter per suam formam substantialem, sed in potentia tantum respectu alicuius formae accidentalis et eius privationis, eo modo quo diaphanum est subiectum lucis et tenebrarum. Ens igitur in potentia simpliciter, est bonum, in quantum ordinatur ad formam, quae est secundum se bonum, et sicut est ens in potentia, ita est bonum in potentia; ens autem in potentia secundum quid, est bonum, quia actu habet formam quae est bomum, et quae est perfectio eius cuius est forma. Hinc omne ens in potentia, quod est subiectum formae et oppositae privationis, quam privationem dicimus malum, est bonum.

6. — **Confirmatur** ex differentia quae est inter bonum et alias qualitates, puta album, dulce, etc. — Nimirum, bonum potest accipi secundum communem acceptionem boni, seu trascendentaliter, aut specialiter pro hoc bono; et similiter dici potest de malo: album vero et dulce et similia non possunt accipi nisi specialiter. Ratio huius est, quia bonum circuit omnia genera, seu est trascendentale: album vero et dulce et similia ad unum praedicamentum formaliter et exclusive pertinent, puta, ad praedicamentum qualitatis. Quocirca, non poterit quidem dici, quod nigrum est in subiecto albo, aut amarum in subiecto dulci; sed malum potest esse in subiecto bono, in quantum unum bonum potest simul esse cum privatione alterius boni. Unde malum

---

quibus tessera est: *Il bene è la legge suprema dell'universo. lo scopo dell'evoluzione degli esseri. Il male non ha esistenza propria, non è che l'effetto di un contrasto: è lo stato d'inferiorità per cui passano tutti gli esseri, nella loro ascensione verso uno stato migliore.* Leone Denis, Dopo la morte. Esposizione della dottrina degli spiriti. Trad. di Fr. Pialek, Milano, p. 314.

non est, sicut in subiecto, in bono quod ei opponitur, sed in quodam alio bono: sicut subiectum caecitatis non est visus, sed animal [1].

7. — **Solvitur difficultas.** — Obiicienti verba Isaiae [2]: *Vae, qui dicitis malum bonum, et bonum malum,* — respondetur, illos hic reprobari, qui dicunt id quod est bonum, secundum quod est bonum, esse malum, et viceversa; sicut etiam reprobantur *ponentes tenebras,* ut sic, *lucem, et lucem* ut sic, *tenebras* [3]. Igitur, licet id in quo est malum sicut in subiecto, ordinarie loquendo, dicatur malum, sicut homo, in quo est peccatum, dicitur malus, tamen malum istud non ita identificatur cum subiecto, ut exinde inferri debeat subiectum ipsum esse formaliter malum: sic malum est in angelis rebellibus, quorum tamen natura in se bona est [4].

ARTICULUS IV. — *Utrum malum corrumpat totum bonum.*

1. — **Intentio articuli.** — Si quis S. Thomae intentionem in hoc articulo perpenderit, facile deprehendet illam huc spectare, ut demonstret malum morale, licet in homine inclinationem ad bonum notabiliter minuat, nunquam tamen posse in tantum crescere, ut illam totaliter auferat. Quod ut clarius demonstretur, primo loco erit distinguenda triplex ratio boni.

2. — **Triplex ratio boni.** — Primo loco, est bonum oppositum malo, et hoc per malum contrarium totaliter tollitur, sicut lumen totaliter tollitur per tenebras, visus totaliter tollitur per caecitatem, et habitus virtutis per habitum vitiosum: unum enim contrariorum totaliter corrumpitur per alterum [5]. Secundo, est bonum quod est subiectum mali; et hoc nec totaliter tollitur per malum, nec diminuitur: sicut per tenebras quidquam de substantia aeris non diminuitur; sic nec per peccatum natura angelica. Tertium bonum medium est inter primum et secundum, et est habilitas subiecti ad actum, de quo bono impraesentiarum quaeritur.

[1] Ad 3m. — [2] V. 20. — [3] Ibid. — [4] Ad 4m. — [5] Ad 1m.

3. — Refellitur falsa sententia. — Porro, de huiusmodi bono aliqui imaginati sunt, illius diminutionem fieri ad modum diminutionis quantitatis: nimirum, aiebant, sicut continuum dividitur in infinitum, facta divisione secundum eamdem proportionem, puta, quod accipiatur medium medii, vel tertium tertii, et tamen nunquam consumitur ipsum continuum; ita aiebant accidere in diminutione boni per malum. — At ratio haec proposito non valet; quia in divisione, in qua servatur eadem proportio, semper subtrahitur minus et minus: minus enim est medium medii, quam medium totius; sed secundum peccatum non de necessitate minus diminuit de habilitate praedicta, quam praecedens, sed forte aut aequale, aut maius [1].

4. — PROP. — α) Bonum, quod est habilitas subiecti ad formam, non tollitur totaliter per malum, β) sed tamen diminuitur, γ) in infinitum, non per se, sed per accidens, secundum quod contrariae dispositiones etiam in infinitum augentur.

5. — Prob. 1ª pars. — Habilitas alicuius subiecti ad formam, si totaliter tollatur, hoc erit per dispositiones contrarias, qua vel erunt finitae, vel infinitae. Atqui per neutras potest praedicta habilitas totaliter tolli. Non per dispositiones finitas, cum hae effectum finitum habeant; nec per infinitas contrarias dispositiones, nam habilitas subiecti ad suam formam est de eius substantia, unde nunquam potest ab eo per quascumque contrarias dispositiones removeri. Quocirca, si inter solem et aerem infinita ponerentur corpora; et pariter, si inter Deum et animam nostram, infinita intercederent peccata, nunquam removeretur totaliter, hinc habilitas ad lumen ab aere, illinc habilitas ad gratiam ab anima. Quocirca, S. Augustinus ait [2]: *Malum non potest totaliter consumere bonum.*

6. — Confirmatur. — Licet malum tollat omne bonum sibi contrarium, tamen non tollit omne bonum absolute: non enim tollit suum subiectum. Quia autem habilitas est media

[1] Ad 3ᵐ. — [2] Enchir., C. XII.

inter subiectum et actum, ex ea parte qua attingit actum, ipsa diminuitur per malum; ex ea parte vero qua se tenet cum subiecto tanquam eius proprietas, remanet cum subiecto [1]. — Rem hanc pulcre illustrat S. Thomas [2]: *In damnatis remanet inclinatio ad virtutem, alioquin non esset in eis remorsus conscientiae, sed quod non reducatur in actum, contingit, quia deest gratia secundum divinam iustitiam: sicut etiam in caeco remanet aptitudo ad videndum in ipsa radice naturae, in quantum est animal naturaliter habens visum; sed non reducitur in actum, quia deest causa quae reducere possit, formando organum quod requiritur ad videndum.*

7. — Quo pacto diminutio inhabilitatis sit intelligenda. — Excluso quod habilitas subiecti ad formam totaliter tolli possit per malum, iam videndum est qua ratione possit diminui. — Ad quod intelligendum, primo recolendum est quod diminutio potest esse duplex: una quae fit per subtractionem, et haec convenit quantitati, quae diminuitur per subtractionem partium; altera diminutio fit per remissionem, et haec convenit qualitatibus et formis: non enim diminuitur albedo per hoc quod aliqua eius pars subtrahatur, sed quia remittitur, et idem accidit in calore et in aliis formis, quae suscipiunt magis et minus, seu quae intenduntur et remittuntur. Igitur, quando dicimus habilitatem subiecti ad formam diminui, non est intelligendum quod diminuatur primo modo, sed secundo.

Ulterius advertendum est quod, cum eadem sit contrariorum disciplina, hinc modus quo fit diminutio habilitatis cognoscitur ex modo, quo fit augmentum sive intensio eiusdem. Sciendum autem, intensionem et augmentum habilitatis subiecti ad formam, fieri per dispositiones, quibus materia praeparatur ad talem actum sive formam; et quanto magis tales dispositiones multiplicantur, tanto maior fit habilitas subiecti ad suscipiendam formam. Sic, habilitas combustibilis ad formam ignis augetur per diversos gradus caloris, et propterea quanto magis multiplicantur gradus caloris in combustibili, tanto maior est illius habitudo ad suspiciendam

[1] Ad 2[m]. — [2] 1 2[ae], Quaest. LXXXV, art. 2, ad 3[m].

formam ignis. Iamvero, diminutio habilitatis fit contrario modo, ut dictum est; sequitur ergo talem habilitatem diminui per dispositiones contrarias; et quanto plures contrariae dispositiones introducuntur in subiecto, tanto minor fit habilitas talis subiecti ad formam. Sic, quanto plures gradus frigiditatis, et humiditatis introducuntur in combustibili, tanto minor fit eius habitudo ad formam ignis.

Hoc posito, iam in promptu est demonstrare secundam propositionis partem.

8. — Prob. 2ª Pars. — Sicut se habet habilitas ad dispositiones disponentes subiectum ad receptionem formae in augeri, ita se habet ad dispositiones contrarias in diminui. Atqui habilitas, per dispositiones disponentes subiectum ad formam, augetur; et quanto plures sunt, tanto magis crescit. Ergo haec habilitas per dispositiones contrarias diminuitur; et tanto magis, quanto plures sunt huiusmodi contrariae dispositiones. Hinc S. Augustinus ait [1]: *Malum nocet, in quantum adimit bonum.*

9. — Quomodo diminutio habilitatis fieri possit in infinitum. — Ut autem intelligatur quomodo habilitatis diminutio in infinitum possit fieri, advertendum est quod dispositiones contrariae, per quas fit diminutio habilitatis, in aliquibus non possunt multiplicari in infinitum, sed solum usque ad certum terminum, ut patet in qualitatibus activis et passivis elementorum: frigiditas enim et humiditas, per quae diminuitur seu remittitur habilitas materiae ad formam ignis, non possunt multiplicari in infinitum. In aliquibus vero possunt multiplicari in infinitum, sicut sunt habitus diaphani ad lumen et habilitas animae ad gratiam recipiendam. Nam sicut habilitas diaphani ad lumen est maior approximatio ad corpus luminosum, e contra eiusdem diaphani remotio a corpore luminoso, erit causa diminutionis, et quanto plura corpora opaca interponuntur inter corpus luminosum et diaphanum, tanto minor erit talis habilitas; pariter, quanto plura peccata interponuntur inter animam et Deum, tanto

[1] Enchir., c. XII.

minor est habilitas animae ad suscipiendam gratiam: peccata enim sunt quasi obstacula inter Deum et animam, secundum illud [1]: *Iniquitates vestrae diviserunt inter vos, et Deum vestrum.* — Quo habito, sit

10 — **Prob. 3ª Pars.** — Habilitas subiecti ad formam, cum radicetur in ipsomet subiecto, per se nec consumitur, nec diminuitur; diminuitur tamen ex parte impedimentorum quae apponuntur, ne pertingat ad terminum; et quia possunt in infinitum addi huiusmodi impedimenta, secundum quod homo addit peccatum peccato, ideo praedicta habilitas potest in infinitum diminui [2].

11. — **Corollarium.** — Ex hoc articulo colligi potest solatoria valde doctrina, nullum esse peccatorem, in via malitiae adeo obstinatum, ut non possit poenitere et ad Deum converti: quod, de potentia Dei non ordinata sed absoluta, vel de damnatis, sive sint angeli, sive homines, dici debet. Quo faciunt verba Ieremiae [3]: *Tu fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te;* et in Concilio Tridentino legitur [4]: *Qui vero ab accepta iustificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt, cum, excitante Deo, per poenitentiae sacramentum, merito Christi, amissam gratiam recuperare procuraverunt.* — Praeterea, ex hoc quoque monemur, ne divina gratia neglecta, vitiis indulgeamus, quae, quo magis inveterantur, hominem ad fatalem et irreparabilem ruinam disponunt.

Articulus V. — *Utrum malum sufficienter dividatur per poenam et culpam.*

1. — **Praenotandum.** — In hoc articulo, S. Thomas considerat formaliter malum quod est in rebus voluntariis tantum, non autem malum quod est in rebus naturalibus. Etenim ibi tantum inveniuntur culpa et poena, ubi est usus

[1] Is., LIX, 2. — [2] Cf. 1 2ae, Quaest. LXXXV, art. 2. — [3] III, 1. — [4] Sess. VI, c. XIV.

liberi arbitrii: in rebus autem naturalibus invenitur multiplex corruptio et defectus, quae ipsis imputabilia non sunt, pertinent tamen ad rationem mali [1]. Ratio autem cur malum. secundum specialem rationem, invenitur in creaturis rationalibus habentibus voluntatem, est quia bonum simpliciter est obiectum voluntatis, et similiter malum, quod est privatio boni.

2. — **Malum consistens in subtractione actus primi, seu formae, aliud est a malo consistente in subtractione actus secundi, seu operationis.** — Ad intelligendam distinctionem quae est inter malum poenae et malum culpae, primo loco recolendum est. malum esse privationem boni, bonum autem principaliter et per se consistere in perfectione et actu. Porro, actus duplex est: primus et secundus. Actus primus est forma et integritas rei; actus secundus est operatio. Ergo malum potest consistere vel in integritate rei, vel in operatione: in integritate rei, secundum subtractionem formae aut alicuius partis pertinentis ad rei integritatem, sicut caecitas malum est et carere membro; in operatione, per subtractionem debitae operationis, scilicet, vel quia operatio omnino deest, vel quia caret debito modo et ordine. — Ex hoc inferimus, de omni malo, sive poenae, sive culpae, dici posse quod nocet, iuxta illud S. Augustini [2]: *Malum dicitur. quia nocet:* nam malum potest nocere vel agenti in se, vel agenti in sua actione. Et quidem, si noceat agenti in se, sic est poenale, et dicitur malum poenae; si noceat agenti in sua operatione, dicitur malum culpae [3].

3. — PROP. — **Omne malum, in rebus voluntariis consideratum, vel est poena, vel culpa.**

4. — **Prob.** — Malum quod consistit in subtractione formae seu integritatis rei, habet rationem poenae, cum poena sit contraria voluntati, et omnis res appetat suam perfectionem; malum vero quod consistit in subtractione debitae operationis in rebus voluntariis, habet rationem cul-

[1] Ad 2[m]. — [2] Enchir., c. XII. — [3] Ad 4[m].

pae: hoc enim imputatur alicui in culpam, cum deficit a perfecta operatione, cuius dominus est secundum voluntatem. Ergo omne malum, in rebus voluntariis consideratum, vel est poena, vel culpa.

5. — **Scholion**. — Hic autem lectorem monemus, sedulo advertendum esse ad verba S. Thomae [1], ubi dicit subtractionem formae habere rationem poenae, *praecipue supposito quod omnia divinae providentiae et iustitiae subdantur*. Et revera, nisi hoc elementum introducatur, nequit omnino intelligi quomodo tot defectus in mundo inveniantur. Enimvero, introducto semel malo culpae, exigit ratio divinae providentiae et iustitiae, ut ordo laesus redintegretur per subtractionem boni in creatura delinquente.

6. — **Quaestio I**. — *Utrum ad rationem poenae pertineat quod creatura nequeat se in esse conservare?*

Resp. Negative: creatura enim, ex eo quod creatura est, hoc in se non habet ut se possit in esse conservare: idem quippe est qui conservat et qui dat esse: unde iste defectus non est considerandus tanquam malum creaturae: malum enim est privatio boni, et non pura negatio. Ceterum, non omnis defectus boni est malum, sed defectus boni quod natum est haberi: sic defectus visus in lapide non est malum, quia non est de ratione lapidis ut videat, sed est malum in animali, quod aptum natum est videre. Restat ergo ut dicatur incapacitatem creaturae conservandi seipsam in esse, tanquam defectum utique computari, minime vero tanquam malum proprie dictum [2].

7. — **Quaestio II**. — *Utrum tentatio pertineat ad malum culpae vel poenae?*

Resp. Tentatio, non prout sumitur pro simplici experimento, sed prout importat provocationem ad malum, et sic pertinet ad scandalum, semper est malum culpae in tentante et potest etiam pertinere ad malum culpae in tentato, si scilicet tentatus sinat seipsum immutari ad malum; si autem malo non consentit, tentatio in ipso malum non est [3], sicut

[1] In corp. art. — [2] Ad 1[m]. — [3] Ad 3[m].

non fuit malum in Christo quod tentaretur a diabolo, sed potius fit materia exercendae virtutis, ut dicitur in Glossa [1]. Attamen, fatendum est tentationem, generaliter acceptam, ad malum culpae debere reduci, quia si non praecessisset peccatum, non esset qui ad illud committendum incitaret.

8. — **Scholion.** — Uti iam advertimus [2], S. Thomas hic de peccato, sive angelorum, sive primi hominis mentionem ex professo facere omittit, cum ad ulteriorem Summae theologicae partem pertineat de eodem agere. Attamen, si hominis conditio consideretur sub lumine huiusmodi factorum, facile deprehendetur, tentationem, etsi nec ad culpam nec ad poenam personalem possit pertinere, posse tamen, in eo quod poenale includit, haberi tanquam sequelam peccati maxime originalis: quod enim quis sentiat in se rebellionem carnis vel mentis ad bonum peragendum, et pariter quod fortiter dimicare debeat, consequentia est vitiosae illius dispositionis, quam in nobis labes originalis peccati reliquit. Distinguendum igitur est inter tentationem externam, qualem passi sunt protoparentes, Christus, et Deipara, quae in sola suggestione constitit, a tentatione interna, quae secumfert etiam delectationem, cui nonnisi per aliquam pugnam efficaciter resistitur.

Articulus VI. — *Utrum plus habeat de ratione mali poena quam culpa.*

1. — **Praenotanda.** — Comparationem instituturi inter malum poenae et malum culpae, primo loco advertere debemus, poenam esse duplicem: scilicet poenam sensus, quae consistit in privatione corporalium bonorum, et poenam damni, quae consistit in privatione gratiae vel gloriae: potest tamen, hic, prioris generis poena, quam plures intelligunt, propius considerari.

2. — PROP. — **Culpa habet plus de ratione mali, quam poena.**

[1] Ordin., super illud 2 Cor., XII, 7: *Ne magnitudo revelationum*, etc. — [2] Prol., n. 2.

3. — **Suadetur.** — I. Sapiens artifex inducit minus malum ad vitandum maius, sicut medicus praecidit membrum, ne corrumpatur corpus. Atqui Dei sapientia infert poenam ad vitandam culpam. Ego culpa est maius malum quam poena [1].

II. Deus non est auctor mali culpae, est tamen auctor mali poenae: sic videmus vel dilectissimos eius servos, ut sanctum Iob, omnis generis malis poenae, interdum, ipso ordinante, affligi. Ex altera parte, videmus sanctos acerbissimas poenas potius selegisse, quam ut vel levissimum peccatum committerent, sicut de Moyse testatur S. Paulus [2]: *Fide Moyses... negavit se esse filium filiae Pharaonis. magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem.*

4. — **Prob.** — Illud ex quo quis fit intrinsece malus, plus habet de ratione mali, quam id ex quo quis aliquam privationem in suis bonis patitur. Atqui ex malo culpae quis fit intrinsece malus, dum per malum poenae quis tantummodo privationem in suis bonis patitur, iuxta illud libri *de divinis Nominibus* [3]: *Puniri non est malum*, scilicet intrinsecum, *sed fieri poena dignum.* Ego malum culpae plus habet de ratione mali, quam poena.

5. — **Exponitur.** — Bonum simpliciter consistit in actu, et non in potentia; ultimus actus vero est operatio, seu usus quarumcumque rerum habitarum. Quocirca bonum hominis simpliciter consistit in bona operatione, seu in bono usu rerum habitarum. Porro, homo utitur rebus per voluntatem, ideo homo dicitur bonus ex bono actu voluntatis, et ex malo actu voluntatis dicitur malus: potest enim qui habet malam voluntatem, etiam bono quod habet male uti, sicut si grammaticus voluntarie incongruo modo loquatur. Igitur, homo dicitur malus, non ex hoc quod careat manu vel pede, sed ex malo usu voluntario rerum habitarum. Atqui, praecise malum culpae constistit in deordinato actu voluntatis: malum vero poenae in privatione alicuius eorum quibus utitur voluntas. Ergo malum culpae plus habet de ratione mali, quam poena.

[1] Sed contra. — [2] Heb., XI, 24, 25. — [3] C. 4.

6. — **Confirmatur.** — I. Quod opponitur bono increato, plus habet ratione de mali, quam quod opponitur tantummodo bono creaturae. Atqui malum culpae opponitur bono increato, malum vero poenae opponitur solum bono creato. Ergo culpa plus habet de ratione mali, quam poena. — *Minor* patet: nam, culpa contrariatur impletioni divinae voluntatis, — voluntatis signi, dico, non beneplaciti [1], — necnon divino amori, quo bonum divinum amatur, non solum ut participatur a creatura, sed a semetipso, in quantum scilicet culpa est offensa Dei. Poena vero privat bono creaturae, sive hoc sit bonum creatum, sicut caecitas privat visu, sive sit bonum increatum, sicut per carentiam visionis beatificae bonum increatum a creatura tollitur.

II. Per culpam tollitur ordo actionis ad finem, quod pertinet ad perfectionem secundam; per poenam vero tollitur bonum agentis, quod pertinet ad perfectionem primam. Atqui secunda perfectio nobilior est prima. Ergo culpa plus habet de ratione mali quam poena [2].

III. Si culpa ad poenam comparetur, dicendum est quod utraque privat hominem debito fine et ordine ad finem; sed per poenam, ipse homo removetur a fine et ab ordine ad finem; per culpam vero ipsa eius actio removetur a fine debito. Sic, per carentiam divinae visionis, quae est poena damni, privatur homo debito fine et ordine ad finem; per culpam vero, homo ipse operatur suam propriam perditionem, in quantum elongatur a rectitudine viae [3]. Atqui peius est propria actione se elongare a rectitudine viae, quam subire huius elongationis consequentiam: unde legitur [4]: *Perditio tua, Israel: tantummodo in me auxilium tuum.*

7. — **Meritum et praemium comparata culpae et poenae.** — Quia autem prima facie videretur quod sicut meritum ordinatur ad praemium, ita culpa ad poenam, et sicut praemium maius est bonum quam meritum, ita et poena debet esse maius malum quam culpa, advertendum est, proportionem non currere per omnia. Nam culpa et poena se habent

[1] Cf. tr. DE PERTINENTIBUS AD DIVINAM OPERATIONEM. Quaest. XIX, art. 11, n. 2, p. 260. — [2] Ad 2m. — [3] Ad 3m. — [4] Ose., XIII, 9.

quidem sicut meritum et praemium quantum ad hoc quod sicut meritum terminatur ad praemium, ita culpa ad poenam: at differentia est quod culpa non intenditur propter poenam, sicut meritum intenditur propter praemium, sed potius e converso, poena ordinatur ad culpam resarciendam et ad eam vitandam indicitur: unde culpa peius est malum quam poena [1].

8. — Omnia mala quae homini obveniunt, poena sunt peccati. — Ad huius articuli complementum, necesse est advertere omnia mala, quae accidunt homini, aliquo modo poenae rationem habere. Etenim Deus in initio fecit hominem rectum [2], id est, illum creavit in perfectissimo statu, omnia ei largiens bona quae eius naturae competunt, bona quoque gratiae superaddens: hinc nullum ei malum, sive in anima, sive in corpore, accidere poterat, quousque eius ratio Deo subdita manebat [3]. Quocirca, nullum in anima, nullum in corpore defectum experiebatur; sed corpus animae, et vires animae inferiores superioribus perfecte obediebant, ut fuse ostenditur in tractatu *de prima hominis formatione* [4]. At ex quo homo rebellem se Deo exhibuit, tunc, perrupta pulcherrima illa harmonia, malorum colluvies in genus humanum per peccati ostium irruit: quae mala rationem poenae habent.

9. — Poena vindicativa et medicinalis. — Porro, duplex est poena: scilicet, vindicativa et medicinalis: et illa quidem simpliciter, haec autem secundum quid poenae rationem habet. Privatio divinae gratiae, et consequenter privatio rectitudinis et integritatis naturalis, quae erant effectus gratiae originalis, simul cum multis aliis defectibus qui diversimode in diversis individuis reperiuntur, poenae sunt vindicativae illius primi delicti.

Huiusmodi defectus sunt totidem poenae medicinales, ordinatae, secundum dispositionem divinae providentiae, ad gloriam Dei et salutem hominum, sive eorum qui illos patiuntur, sive aliornm, qui huiusmodi defectibus admonentur,

[1] Ad 1m. — [2] Eccle., VII, 30. — [3] 2 2ae, Quaest, CLXIV, art. 1. — [4] Quaest. XCIV, XCV.

ne a recta virtutis semita deflectant. Sic videmus interdum parvulos, actualis peccati incapaces, graves pati poenas, ut febrium, obsessionum diabolicarum, etc., quas alii non patiuntur; et Dominus noster, a Iudaeis interrogatus, utrum caecitas illius iuvenis, quem per viam invenerat, eius peccatis esset adscribenda, an peccatis eius parentum, respondit [1]: *Neque hic peccavit, neque parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei in illo.*

10. — Diversitas mali poenae in diversis individuis. — Advertendum quoque est, defectus, de quibus locuti sumus, non aequaliter in omnibus inveniri, quia non omnes eodem modo destinantur ad propriam sanctificationem et gloriam Dei procurandam, sed modis diversis, iuxta quod Deus, in sua infinita sapientia statuerit. *Quia Deus*, ait S. Thomas [2], *praescius est omnium futurorum eventuum, ex dispositione divinae praescientiae et providentiae, huiusmodi poenalitates diversimode in diversis inveniuntur*: aliunde, *hoc ipsum quod oportet humanae naturea medicinas poenales adhibere, est ex corruptione naturae, quae est poena originalis peccati; in statu enim innocentiae non oportuisset aliquem ad profectum virtutis inducere per poenalia exercitia: unde hoc ipsum quod est poenale in talibus reducitur ad originalem culpam, sicut ad causam* [3].

11. - Daemones, instrumenta divinae vindictae. — Denique, opportune notabitur, malum poenae per daemones hominibus interdum infligi, sicut legimus in Scriptura [4], licet spiritus maligni alia intentione a Dei intentione poenas huiusmodi infligant. *Poena enim*, ait S. Thomas [5], *refertur in Deum, sicut in primum auctorem: et tamen daemones ad puniendum missi alia intentione puniunt, quam mittuntur: nam ipsi puniunt ex odio vel invidia: mittuntur autem a Deo propter eius iustitiam.*

[1] Io., IX, 3. — [2] 2 2^{ae}, Quaest. CLXIV, art. 1, ad 4um. — [3] 1 2^{ae}, Quaest. LXXXVIII, art. 7. — [4] 3 Reg., XXII, 20, seq. — [5] 1, Quaest. CXIV, art. 1, ad 1um.

QUAESTIO SEXTA.

(XLIX).

DE CAUSA MALI.

Prologus.

1. — **Ratio quaestionis.** — Inter omnes quaestiones quae in sacra theologia agitantur, vix aliqua datur quae simul maioris difficultatis et momenti existat, quam quaestio de causa mali. Et difficultas ex hoc quidem exurgit quod, cum hinc quidem omnes res Deus in cuiusque naturae perfectione condiderit, quodlibet vero agens propter finem, qui bonus est, agat, non videtur aut undenam possit malum oriri, aut ad quemnam scopum ordinetur: unde solet problema de malo inter maxime implicata computari. — Et tamen, cum malum revera inveniatur, et quidem in quolibet rerum ordine, hinc nequit quis sapiens dici, sed nec malum ipsum efficaciter aut evitare aut vincere, nisi illius causam probe noscat.

2. — **Ordo quaestionis.** — Porro, inquirenti quaenam sit causa mali, duo statim menti occurrunt, silicet, bonum (1-2), et malum (3). Et bonum quidem potest considerari tum generaliter (1), tum particulariter, scilicet Deus (2). De malo autem dubitatur, non utcumque, sed prouti fingi potest in summo et secundum essentiam existere.



Hinc tria in hac quaestione quaeruntur.

Primo. Utrum bonum possit esse causa mali.

Secundo. Utrum summum bonum, quod est Deus, sit causa mali.

Tertio. Utrum sit aliquod summum malum, quod sit prima causa omnium malorum.

Articulus I. — *Utrum bonum possit esse causa mali.*

1. — **Ratio articuli.** — Cum audimus hic agi de causa mali, adverti statim debet quod, cum causa possit considerari secundum quatuor genera, nam, potest esse materialis, formalis, finalis et efficiens, vix opus est ut de tribus prioribus verba hic faciamus: etenim, de causa materiali iam dictum est quod subiectum mali est bonum [1]; pariter, malum non habet causam formalem, cum sit privatio formae [2]; denique, malum est privatio ordinis ad finem debitum, qui finis semper habet rationem boni et utilis eius quod ad finem ordinatur, unde malum per se causam finalem non habet. — Quae cum ita sint, non restat, nisi ut de causa efficiente mali agamus; at, in antecessum solvi debet praeiudicialis quaestio, utrum necesse sit assignare aliquam causam mali.

2. — PROP. I. — α) **Omne malum necessario habet aliqualiter causam,** β) **quae non potest esse nisi bonum.**

3. — **Prob. 1ª Pars.** — Omne malum est defectus quidam, quo res vel a sua naturali dispositione removetur, ut malum poenae. vel deficit a sua naturali actione, ut malum culpae. Atqui nullum agens deficit a sua dispositione vel a sua actione, nisi propter aliquod impedimentum, sicut videmus quod grave non movetur sursum, nisi ab aliquo impellente. Ergo necesse est dicere omne malum causam aliqualiter habere.

4. — **Prob. 2ª Pars.** — Enti solummodo convenit esse causa, non ens enim agere non potest. Atqui omne ens, ut

[1] Quaest. praec., art. 3. — [2] Ibid., art. 1.

sic, est bonum. Ergo bonum tantummodo potest esse causa mali. Unde ait S. Augustinus [1]: *Non fuit omnino unde oriri posset malum, nisi ex bono.* — Quod si legitur in libro *de divinis Nominibus* [2], quod malum caret causa, hoc est intelligendum, quod caret causa per se, non autem causa per accidens [3], ut mox dicetur.

Ostenso generaliter quod malum debet necessario causari a bono, inquirendum modo est quo pacto bonum possit esse causa efficiens mali. Ad quod intelligendum, oportet prius distinguere malum in actione et malum in effectu actionis.

5. — Malum in actione et malum in effectu actionis. — Sciendum est igitur quod malum dupliciter potest esse causatum: scilicet, in actione, et in effectu actionis; in actione quidem, ut si quis ambulet claudicando; in effectu vero actionis, ut si quis aliquem occidit. Porro, malum actionis provenit propter defectum alicuius principiorum actionis, et hoc dupliciter: vel propter defectum in principali agente, vel propter defectum in instrumento requisito ad talem actionem. Sic, defectus deambulationis in animali potest contingere vel propter debilitatem virtutis motivae in principali agente, puta in puero aut sene, qui caret viribus ad bene ambulandum, vel propter ineptitudinem instrumenti, puta, tibiae claudicantis: malum igitur actionis procedit vel ex defectu agentis principalis, vel ex defectu causae instrumentalis.

Malum vero in re aliqua, seu in effectu, potest provenire ex triplici causa: primo, ex virtute agentis; secundo, ex defectu virtutis agentis; tertio, ex indispositione materiae. — Ex virtute seu perfectione agentis provenit malum, non in effectu proprio producto ab agente, sed in alio: quando scilicet ad formam intentam ab agente sequitur ex necessitate alterius formae privatio: sicut quando ignis sua virtute introducere nititur formam suam in lignum aut aerem, tunc expellit formam ligni aut aeris; et quanto potentior est eius virtus, tanto perfectius expellit formam contrariam: unde corruptio aeris et aquae est ex perfectione ignis. Malum vero, quod est ex defectu virtutis agentis, provenit in

[1] L. I, Contra Iulian., c. 9. — [2] C. IV. — [3] Ad 4[m].

effectum proprium agentis. Denique, malum ex indispositione materiae, est etiam ex defectu agentis non potentis disponere materiam.

6. — PROP. II. — α) **Bonum est causa efficens mali** β) **non per se, sed per accidens.**

7. — **Prob. 1ª Pars.** — Omne malum est vel ex virtute agentis, vel ex debilitate et defectu virtutis agentis. Si sit ex virtute agentis, tunc causatur malum, non in proprio effectu, sed in alia re, ut dictum est. Si autem sit ex defectu agentis, tunc causatur malum in actione, et in effectu: in actione, si deficiat virtus vel principalis agentis, vel agentis instrumentalis; in effectu vero etiam producitur malum, quando est debilis virtus agentis, vel quando non est materia disposita: quae tamen omnia in se bona sunt.

8. — **Prob. 2ª Pars.** — Omne malum est vel ex virtute agentis, vel ex debilitate virtutis. Atqui utrumque est a bono tantum per accidens. — Etenim agens sua virtute intendit tantum introducere formam in suum effectum; per accidens tamen expellit contrariam. Rursus malum, quod ex defectu virtutis provenit, est per accidens, quia esse deficiens accidit bono, cui per se competit agere. Ergo bonum est causa efficiens mali per accidens.

9. — **Quaestio I.** — *Quisnam est sensus verborum Domini Nostri* [1]: NON POTEST ARBOR BONA MALOS FRUCTUS FACERE?

Resp. Verba haec intelligenda sunt moraliter, scilicet de voluntate accepta, non in genere entis, sed in genere moris; unde dicit S. Augustinus [2]: *Arborem malam appellat Dominus voluntatem malam, et arborem bonam voluntatem bonam.* Scilicet, voluntas moraliter bona non producit actum moralem malum et, e converso, voluntas moraliter mala actum moralem bonum non producit, cum actus moralis bonus et malus indicentur ex ipsa voluntate bona vel mala; nihilominus, quia voluntas moraliter mala est et ipsa aliquid bonum, ideo motus ab ea procedens procedit a radice quae in se bona est, et sic est causa mali per accidens [3].

[1] Matth., VII, 18. — [2] L. I Contra Iulian., c. ult. — [3] Ad 1m.

10. — Solvitur difficultas. — Unum contrariorum non potest esse causa alterius. Atqui malum est bono contrarium. Ergo malum non potest a bono causari.

Resp. *Dist. mai.:* per se, *conc.;* per accidens, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* — Etsi unum contrariorum non causat aliud per se, potest tamen illud causare per accidens ut dictum est: sic frigidum exterius ambiens calefacit, in quantum calor retrahitur ad interiora. — Potest etiam hoc modo distingui *maior*: unum contrariorum non est causa alterius quod sibi contrariatur, *conc.*; quod contrariatur alteri, *nego. Dist. min.*: omne malum contrariatur cuilibet bono, *nego*; malum contrariatur bono alterius sibi non contrario, *conc.* — Nimirum, non omne malum contrariatur cuilibet bono, ideoque bonum est causa mali, non illius mali quod est huic bono causanti contrarium, sed alterius sibi non contrarii. Sic bonitas ignis non causat malum ignis, sed malum aquae in quantum est frigida; similiter, bonitas aquae non causat illius malum, sed malum ignis quem exstinguit [1].

11. — Quaestio II. — *Utrum praesentia mali semper arguat causam deficientem?*

Resp. Proponitur haec dubitatio quia, cum malum sit effectus deficiens, videretur quod debeat semper habere causam deficientem, quae quidem, quia deficiens, erit malum quoddam,et sic malum non erit ex bono, sed ex malo, contra id quod dictum est [2].

Ad quod solvendum, primo, distinguendum est malum in naturalibus sicut corruptio, monstra, etc., et in voluntariis, sicut peccatum, et recolendum est malum diversimode accidere utrobique.

Etenim, malum in naturalibus dupliciter potest causari: vel ex virtute causae, ut corruptio ligni est ex virtute ignis, vel ex defectu virtutis causae, sicut claudicatio est ex defectu virtutis tibiae. Igitur, si sermo sit de malo quod causatur ex virtute agentis, tunc dicendum est malum huiusmodi non esse a causa deficiente, sed potius a causa habente convenientem virtutem ad operandum proprium effectum, quae

[1] Ad 2[m]. — [2] Ad 3[m].

tamen est causa mali per accidens, quia, verbi gratia, corruptio ligni vel aquae ab igne est ex virtute ignis, qui proprium effectum producendo, est causa per accidens corruptionis formae ligni vel aquae. At malum, ut diximus, provenire etiam potest ex defectu virtutis causae, seu ex causa deficiente : sed iste defectus causatur ex virtute alicuius alterius causae, per accidens tamen : sic dicimus monstrum esse malum causatum ex defectu seminis, qui tamen defectus causatur ex aliqua alia causa, imprimente scilicet contrariam dispositionem : quae causa per suam virtutem per accidens impedit seminis virtutem ne possit in effectum traduci : unde defectus seminis est a causa non deficiente, attamen per accidens. Igitur omne malum in naturalibus, vel est a causa non deficiente, vel si sit a causa deficiente, eius effectus est per accidens causatus ex virtute alterius causae non deficientis.

In voluntariis autem causa mali est voluntas, quae sic dupliciter potest malum causare : primo, per accidens ; secundo, ut est bonum deficiens. Per accidens quidem, sicut quando voluntas eligit id quod est bonum secundum quid, cui bono aliquod malum coniungitur : sicut quando ebriosus delectationem eligit, cui adnexum est peccatum : tunc nimirum, voluntas per se eligit bonum, malum autem per accidens. In quantum vero voluntas est bonum deficiens, est causa mali, prout non operatur secundum rectam regulam rationis, et hoc quidem est defectus quidam, qui tamen defectus culpa non est, sed ex tali defectu sequitur malum culpae, quatenus ipsa voluntas, quae ex sua libertate potest hoc illudve eligere absque regula rationis, eligit vel operatur id ex quo sequitur malum. Ex quibus sequitur quod etiam in voluntariis, malum est a bono, et non a mala causa.

Articulus II. — *Utrum summum bonum, quod est Deus, sit causa mali.*

1. — **Praenotandum**. — Ad rite intelligendum quomodo possit Deus dici causa mali, necesse est, primo, distinguere malum rei a malo morali, quod est proprie malum actionis voluntariae deficientis a debito fine. Ulterius, malum rei po-

test esse in rebus naturalibus, consistens in aliqua corruptione, et dicitur simpliciter malum physicum ; vel in subiectis ratione utentibus, sequens ad culpam, et dicitur malum poenae.

2. — PROP. I. — **Malum rei, α) sive quod invenitur in rebus naturalibus, β) sive quod infligitur creaturis rationalibus tanquam poena, Deum habet auctorem.**

3. — **Sacra Scriptura.** — In Exodo inducitur Deus dicens ad Moysen [1] : *Quis fecit os hominis ? aut quis fabricatus est mutum, et surdum, videntem et caecum, nonne ego?* Pariter, Anna, uxor Elcanae, in suo pulcherrimo cantico dicebat [2] : *Dominus mortificat et vivificat ;* sic etiam Deus de seipso declarabat per os Isaiae [3] : *Ego Dominus et non est alter, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum* ; et in propheta Ieremia Deus de ipso dicit [4] : *Ecce ego inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt et clamabunt ad me, et non exaudiam eos ;* qui etiam in Amos protestabatur [5] : *Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit.*

4. — **Patres.** — Praeclara sunt quae hac in re habet S. Gregorius Magnus [6] : *Etiam mala, quae nulla sua natura subsistunt, creantur a Domino : sed creare mala dicitur, cum res in se bonas creatas nobis male agentibus in flagellum format.*

5. — **Prob. 1ª Pars.** — Cum ordo universi requirat quod aliqua possint deficere aut corrumpi et interdum deficiant et corrumpantur, hinc Deus, qui est causa ordinis universi, virtute sua causat in rebus formam quamdam, ad quam sequitur corruptio et defectus. Ergo Deus est etiam causa mali quod reperitur in aliquibus rebus naturalibus.

6. — **Solvitur tacita obiectio.** — Obiicienti verba illa Sapientiae [7] : *Deus mortem non fecit*, necnon dictum S. Augustini [8] : *Deus non est auctor mali, quia non est causa tendendi*

[1] IV, 11. — [2] 1, Reg., II, 6. — [3] Is., XLV, 6 7. — [4] XI, 11. — [5] III, 6. — [6] L. III Moral., c. 9 ; in Iob. c. 2. — [7] I, 13. — [8] L. LXXXIII Quaest., quaest. XXI.

ad non esse. — respondetur Deum mortem non fecisse, scilicet ut per se intentam, et non esse auctorem mali ut per se procuratum.

7. — **Prob. 2ª Pars.** — Ordo iustitiae, per creaturae rationalis transgressionem laesus, exigit ut restituatur per inflictionem poenae congruae, secundum illud [1]: *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Atqui ad Deum pertinet, tanquam supremum gubernatorem universi, laesum ordinem iustitiae restituere. Ergo Deus est causa mali rei, quod reperitur in creatura rationali, et dicitur malum poenae. — Revera, legimus in Sacra Scriptura Deum peccatoribus saepius poenas inflixisse: quo pertinet quod tot creaturae, quae ante originale peccatum homini minime nocuissent, completo iam primo illo delicto, contra hominem pugnare coeperunt, iuxta illud [2]: *Et pugnabit cum* (Domino) *orbis terrarum contra insensatos.*

8. — PROP. — **Malum actionis in agentibus liberis, seu malum culpae, non reducitur in Deum, tanquam in causam.**

9. — **Prob.** — Malum actionis seu culpae, in agentibus liberis, provenit ex defectu virtutis agentis, ut superius ostensum est [3]. Atqui in Deo nullus est defectus. Ergo malum actionis, seu culpae, non reducitur in Deum, sicut in causam. — Hinc dicit S. Augustinus [4]: *Deus non est auctor mali, quia non est causa tendendi ad non esse.*

10. — **Scholia.** — I. Per hoc excluduntur Calvini blasphemae voces, qui asserere non erubuit malum culpae non solum permissive, sed etiam effective esse a Deo volitum. Sane, personasse hic videtur impius novator putida Indiae paganorum figmenta, deos comminiscentium omnis generis malorum instigatores.

II. Apparet etiam, ex hac doctrina, quanta sit differentia inter Deum, supremum orbis terrarum gubernatorem, et or-

[1] Apoc., XVIII, 7. — [2] Sap., V, 21. — [3] Art. praeced., n. 11. — [4] L. LXXXIII Quaest., quaest. XXI.

dinarium navis aut reipublicae ducem: contingit enim hunc, quia deficiens existit, interdum ea praetermittere quae ad salutem sibi commissorum requiruntur; Deus autem ab agendo quod necessarium est ad eorum incolumitatem minime deficit; unde est quidem causa salutis omnium rerum, minime vero mali et perditionis animarum [1].

11. — **Solvitur difficultas.** — Effectus causae secundae deficientis reducitur in causam primam non deficientem. Atqui malum culpae est effectus causae secundae deficientis. Ergo malum culpae reducitur in Deum tanquam in causam primam non deficientem.

Resp. *Dist. mai.*: quantum ad id quod habet entitatis et perfectionis, *conc.*; quantum ad id quod habet de defectu, *nego. Conc. min. Nego conseq. et conseq.* [2].

12. — **Differentia inter Deum et hominem relate ad malum morale.** — Denique notabitur hic opportune, inter Deum et hominem, relate ad malum morale, hanc intercedere differentiam, quod homo quidem, malum morale dicitur interdum tolerare, in quantum scilicet illud impedire nequit, at nunquam illud potest permittere, quia tenetur, quantum in se est, illud impedire: Deus autem proprie illud permittit, cum impedire illud posset, si vellet; at minime tenetur obligatione illud impediendi, quia ex malo potest bonum eruere.

Articulus III. — *Utrum sit unum summum malum quod sit causa omnis mali.*

1. — **Manichaeorum haeresis.** — Fuit olim Gnosticorum, Manichaeorum et Priscillianistarum haeresis, quae in media aetate ab Albigensibus suscepta, modo in Oriente latissime viget, duo esse summa principia, alterum bonum, a quo omnia bona, alterum malum, a quo vicissim omnia mala pendent: quorum prius omnes animas, posterius vero corpora creavit; illud vetus, hoc novum condidit testamentum; illud invisibilia, hoc visibilia condidit. Malo quoque princi-

[1] Ad 3[m]. — [2] Ad 2.[um].

pio attribuebant institutionem nuptiarum, creationem immundarum escarum, et multa similia: quos S. Paulus prophetice descripsit, dicens [1]: *Spiritus manifeste dicit quia in novissimis temporibus, discedent quidam a fide,... prohibentium nubere, abstinere a cibis quos Deus creavit*, etc. — Priscillianistarum et Manichaeorum placita singillatim referuntur et confutantur in Concilio Bracarensi II, anno 561 celebrato [2], et in multis aliis conciliis condemnata sunt.

2. — Hodiernorum materialistarum deliramenta. — Porro, quod Manichaei de summo malorum principio, omnium malorum auctore, commentati sunt, hodierni materialistae et maxime membra sectae sic dictae franco-muratorum, ratione paulisper diversa, instaurarunt, cum contra altare unici veri Dei, aliud altare ei erexerint, quem tanquam illius adversarium considerant, id est Satanae, cuius regnum, tanquam summi cuiusdam dei, promovere undequaque student, quatenus sperant se finaliter perventuros ad cuiusvis sensualis boni consecutionem. — Contra quos ponimus

3. — PROP. — Non potest dari unum principium primum malorum, sicut est unum primum principium bonorum.

4. — **Sacra Scriptura.** — Imprimis, ex Sacra Scriptura habemus, creaturarum universitatem a Deo, qui bonus est, ortum habuisse, cum dicatur [3]: *In principio creavit Deus caelum et terram.* Sed et de creaturis ipsis additur [4]: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona.* Quinimmo, S. Paulus Manichaeorum insaniam prophetice refellens, expresse ait [5]: *Quia omnis creatura Dei bona est, et nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur.*

5. — Ratio theologica triplex. — I. Si esset summum malum, esset per essentiam malum, sicut summum bonum est per essentiam bonum. Atqui non potest dari malum per essentiam: nam, omne ens, in quantum ens, est bonum, nec malum potest esse, nisi in bono. Ergo non potest dari summum malum per essentiam, quod sit causa omnis mali.

[1] 1 Tim., IV, 1, 3. — [2] Cf. Denzinger B., nn. 231, seq. — [3] Gen., I, 1. — [4] Ibid., 31. — [5] 1 Tim., IV, 4.

II. Licet malum semper diminuat bonum, nunquam tamen potest illud totaliter tollere aut consumere; unde dicit Aristoteles [1] quod si malum integrum sit, seipsum destruet, quia destructo omni bono quod requiritur ad integritatem mali, necesse est ut subtrahatur etiam ipsum malum, cuius subiectum est bonum. Ergo non potest dari summum malum, quod scilicet sit integre et perfecte malum, quin habeat bonum aliquod.

III. Malum causatur a bono et non est nisi causa per accidens. Atqui, quod ab alio causatur et est causa per accidens non potest esse primum principium. Ergo malum non potest esse primum principium, cum repugnet primum principium ab aliquo causari, et causa per accidens sit posterior causa per se. Ergo non potest poni malum quod sit primum malorum principium; sed omnia mala oportet reducere in aliquam causam bonam, ex qua sequitur malum per accidens [2].

6. — Rationes ponentium duo prima principia. — Venientes modo ad rationes eorum qui duo principia ponebant, invenimus, prius, eos id posuisse, quia videntes quod aliquid per virtutem suae naturae est alteri nocivum, existimaverunt illud esse malum secundum suam naturam: sicut videntes quod ignis, per virtutem suae naturae, interdum comburit domum pauperis, dixerunt naturam ignis esse malam; et proinde, non considerantes causam universalem totius entis, sed particulares tantum causas particularium effectuum, ita arguebant: quae secundum suam naturam sunt mala, reducenda sunt ad aliquod primum principium malum. Atqui multa sunt in universo, quae secundum suam naturam mala sunt, ut quae sunt alteri nociva. Ergo sunt reducenda ad principium primum malum.

Secundo, considerantes contrarietatem in rebus inveniri, secundum illud [3]: *Contra malum bonum est, et contra vitam mors. sic et contra virum iustum peccator* [4]; aliunde, cum invenirent duorum particularium effectuum contrariorum duas causas particulares contrarias, edixerunt contrarios effectus esse reducendos in contrarias causas, non valentes tamen

[1] L. IV Ethic., c. 5. — [2] Ad 6[m]. — [3] Eccli., XXXIII, 15. — [4] Ad 1[m].

assurgere ad considerationem causae communis, nec hos effectus reducere in unam causam supremam; unde concluserunt, quod sicut summum bonum est in rerum natura, ita est et summum malum ei oppositum, causa omnis mali [1].

7. — Refelluntur praedictae rationes. — Ut modo ad radicem huius erroris deveniamus, primo advertimus, hunc in eo esse positum, quod, ut diximus, illi non consideraverint causam universalem totius entis, sed tantum causas particulares, et secundum particularem causalitatem iudicaverunt de rebus. Igitur dicendum, res non debere considerari secundum ordinem ad aliquid particulare, sed secundum seipsas, et secundum ordinem ad totum universum, in quo quaelibet res suum locum ordinate tenet: unde licet ignis sit nocivus domui vel ligno, non ex hoc sequitur quod secundum suam naturam sit malus, cum secundum se sit quaedam natura bona et pars universi.

Secundo, dicendum quod contrarii effectus reducuntur quidem in contrarias causas proximas, quae tamen reducendae tandem sunt in unam communem omnium causam, cum contraria conveniant in genere uno et etiam in ratione essendi. Sic, supra qualitates elementorum contrarias, invenitur virtus corporis caelestis, et similiter supra omnia quae quocumque modo sunt, invenitur unum primum principium essendi. Quocirca, licet contrarii effectus habeant causas particulares contrarias, oportet tamen devenire ad unam primam causam communem [2].

Quod confirmatur, quia privatio et habitus nata sunt fieri circa idem; subiectum autem privationis est ens in potentia; unde, cum malum sit privatio boni, illi bono opponitur cui adiungitur potentia, non autem summo bono quod est actus purus [3].

8. — Quo sensu dicitur malum et peius. — Quia autem, ex eo quod dicitur malum et peius, videretur accedi posse ad aliquod summum malum, quasi pessimum in toto genere, quod proinde sit omnium malorum causa, sciendum est quod

[1] Ad 2m. — [2] Ad 1m. — [3] Ad 2m.

bonum et melius dicuntur quidem per accessum ad summum bonum, malum autem et peius non dicuntur per accessum ad summum malum, sed magis per recessum a summo bono. Forma enim est perfectio quaedam, privatio vero est quaedam remotio; unumquodque autem intenditur secundum propriam rationem. Quocirca omnis forma et perfectio et bonum intenditur per accessum ad terminum perfectum; privatio autem et malum, per recessum a termino. Ergo non est quoddam summum malum, ad quod omnia mala accedant [1].

Pariter, perperam argueret quis, ex eo quod res quae sunt malae apud nos, tales videntur esse per participationem, dari debere malum per essentiam, cum omne quod est per participationem reducatur ad aliud quod est per essentiam: — hoc, inquam, perperam dicitur; nam nullum ens dicitur malum per participationem, sed per privationem participationis: unde non oportet fieri reductionem ad aliquid quod sit per essentiam malum [2].

Haec tamen minime tollunt quominus, in agentibus liberis, aliquis existat, qui inter malos primatum habeat, qui est summus inter angelos rebelles, ad quem accedunt et quem *imitantur... qui sunt ex parte illius* [3].

9. — Quaestio. — *Utrum malum sit ut in pluribus?*

Respondet S. Thomas [4], simpliciter falsum esse, dicere quod malum est ut in pluribus, nam generabilia et corruptibilia, in quibus solum contingit esse malum naturae sunt modica pars totius universi; et iterum, in unaquaque specie, defectus naturae accidit ut in paucioribus. Attamen, in hominibus, et quidem iis solis, malum videtur esse ut in pluribus, quia bonum hominis secundum sensum, quod plurimi, praetermisso bono rationis, prosequuntur, non est hominis in quantum homo, id est secundum rationem. En ratio difficultatis salutis multorum [5].

[1] Ad 3[m]. — [2] Ad 4[m]. — [3] Sap., II, 25. — [4] Ad 5[m]. — [5] De hoc argumento legi potest D. Carlo S. Vio, Il male e il genio del male. Dissert. Venezia, 1903.

QUAESTIO SEPTIMA.

(LXVI).

DE ORDINE CREATIONIS AD DISTINCTIONEM.

Prologus.

1. — Ratio quaestionis. — Sacra Scriptura, divina opera recapitulans, haec habet [1]: *Igitur perfecti sunt caeli et terra, et omnis ornatus eorum:* in quibus verbis, ait Angelicus [2], triplex opus intelligi potest, scilicet, opus creationis, per quod caelum et terra producta leguntur, sed informia; opus distinctionis, per quod caelum et terra sunt perfecta; opus ornatus, per quod res, iam in suis quaeque speciebus distributae, convenienti decore donantur. Igitur, cum iam opus creationis expenderimus, sequitur ut de opere distinctionis agamus, ad quod alludit sacer Testus, dum ait [3]: *In iudicio Dei opera eius ab initio, et ab institutione ipsorum, distinxit partes illorum, et initia eorum in gentibus suis.* — Haec tamen rerum distinctio dupliciter considerari debebit: uno modo, generaliter, quae scilicet praevia sit operi primae diei; altero modo, specialiter, quae tribus primis mosaicis diebus legitur completa. Et quidem, de priori distinctivo opere in praesenti; de altero vero, in subsecutura quaestione agetur.

2. — Ordo quaestionis. — Porro, prior illa generalis distinctio in creatione corporalis creaturae considerari debebit, tum quoad ipsam substantiam corporalem (1-3), tum quoad illius accidens, quod est tempus (4). Et quidem, corporalis creatura considerari potest prout est, tum in ordine naturali (1-2), tum in ordine supernaturali (3): in ordine quidem

[1] Gen., II, 1. — [2] 1, Quaest. LXX, art. 1. — [3] Eccl., XVI, 26.

naturali, attenta tum ipsa eius substantia (1), tum eius unitate (2); in ordine autem supernaturali, quantum ad caelum empyreum (3). — De substantiis quoque spiritualibus, quas S. Thomas vix tangit, cum de illis iam ex professo egerit (L-LXIV), aliquid etiam, incidentaliter saltem, erit inserendum.



Quocirca, quatuor in hac quaestione quaeruntur.

Primo. Utrum informitas materiae praecesserit tempore formationem ipsius.

Secundo. Utrum sit una materia omnium corporalium.

Tertio. Utrum caelum empyreum sit concreatum materiae informi.

Quarto. Utrum tempus sit eidem concreatum.

Articulus I. — *Utrum informitas materiae tempore praecesserit formationem ipsius.*

1. — **Sententiarum diversitas.** — Circa enunciatum problema, duplex invenitur sanctorum Doctorum sententia. Hinc quidem S. Augustinus posuit materiae corporalis informitatem non praecessisse formationem eius tempore, sed tantum origine et ordine naturae [1]. Ex adverso, S. Basilius [2] S. Ambrosius [3] et S. Ioannes Chrysostomus [4] voluerunt informita-

[1] L. 1 super Gen. ad litt., c. 15. — [2] Homil. II in Hexam. — [3] L. I Hexam c. 8. — [4] Homil II in Gen.

tem materiae tempore praecessisse formationem eius. Porro, licet istae opiniones videantur contrariae, realiter tamen, advertit Angelicus, parum ab invicem differunt, eo quod aliter accepit S. Augustinus informitatem materiae, aliter vero alii sancti Doctores.

2. — **Duplex modus accipiendi informitatem materiae.** — Revera, informitas materiae accipi potest, primo, pro carentia omnis formae, quasi videlicet materia, secundum se, non habet aliquam formam. Secundo, potest accipi pro carentia formositatis et decoris, qualis nunc in creatura corporea apparet. Porro S. Augustinus priori sensu accepit informitatem materiae; alii vero sancti Doctores eam altero sensu intellexerunt. — Hac posita distinctione, dicimus

3 — PROP. — α) **Informitas materiae, accepta pro carentia omnis formae, non praecessit formationem ipsius**; β) **nec accepta pro aliqua forma communi**; γ) **bene vero, si accipiatur pro carentia formositatis et decoris.**

4. — **Prob. 1ª Pars.** — Ipsum quod est actus, est forma. Atqui creationis terminus est ens in actu. Ergo quod creatum est, est ens formatum, ita ut dicere materiam praecessisse sine forma, sit dicere ens actu sine actu, quod implicat contradictionem.

5. — **Solvitur difficultas.** — Deus potest facere quod sit accidens sine subiecto, ut patet in sacramento altaris. Ergo potuit facere quod materia esset sine forma. — *Consequentia patet*: nam materia prior est accidente, cum sit pars substantiae.

Resp. Accidens, cum sit forma, est actus quidam; materia vero, secundum id quod est, est ens in potentia. Unde magis repugnat materiae esse in actu sine forma, quam accidenti sine subiecto [1].

6. — **Prob. 2ª Pars.** - Haec fuit opinio antiquorum naturalium, qui posuerunt materiam primam esse aliquod corpus in actu, puta, ignem, aerem, aut aquam, aut aliquod

[1] Ad 3ᵐ.

medium. Dixerunt igitur materiam primitus creatam fuisse sub una forma communi, et postmodum ei supervenisse formas diversas, quibus sit distincta: cui *respondetur* quod si ita esset, tolleretur omnis mutatio substantialis: nam, in hoc casu, fieri non essat nisi alterari; quia cum illa forma praecedens daret esse in actu in genere substantiae et faceret esse hoc aliquid, sequens forma non faceret simpliciter ens in actu, sed ens actu hoc, quod est proprium formae accidentalis; unde subsequentes formae essent accidentia, et sic tolleretur e medio veri nominis generatio, et nonnisi alteratio haberetur. Quocirca, sicut excluditur quod materia prima fuerit condita sine forma, ita etiam admitti nequit eam fuisse conditam sub forma aliqua communi; sed sub formis distinctis.

7. — Prob. 3ª Pars. — In Genesi legitur [1]: *Terra autem erat inanis et vacua*, seu, ut legitur apud Septuaginta, *invisibilis et incomposita*, ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος. Porro, triplex tunc ei deerat formositas, propter quod dicebatur creatura corporalis informis. Primo, deerat a toto corpore diaphano, quod dicitur caelum, quod est tota atmospherica regio, pulcritudo lucis, unde dicitur quod tenebrae erant super faciem abyssi. Secundo, deerat terrae illa formositas ei proveniens ex eo quod est aquis discooperta, unde dicitur quod erat inanis, seu invisibilis, cum videri non posset ob aquas illam penitus cooperientes. Tertio, eidem deerat pulcritudo illa proveniens ex ornatu herbarum et plantarum; unde dicitur quod erat vacua, seu incomposita, id est, non ornata. — Attamen, sedulo advertendum est, quod cum dicitur informitatem materiae tempore praecessisse formationem eius, hoc non debet intelligi, quasi Deus non potuerit statim materiam exornare; sed eius sapientia hoc habuit, ut ordo servaretur in rerum conditione, dum ex imperfecto ad perfectum adducerentur [2].

8. — Scholion. — Igitur, cum S. Augustinus, nomine terrae et aquae, intelligeret materiam primam, bene dicere po-

[1] I, 2. — [2] Sed contra, I.

tuit eius informitatem tempore non praecessisse formationem eius ; alii vero sancti, intelligentes elementum caeli et terrae, triplici illa formositate carens, recte affirmaverunt formositatem hanc nonnisi subsequenti tempore eidem accessisse. — Attamen, de S. Augustino ulterius dici debet, eum simultaneam omnium rerum productionem, utique academica ratione, sustinuisse, ut ex decursu nostrae investigationis clarescet [1].

9. — Quaestio I. — *Curnam, secundum S. Augustinum materia prima, in principio Geneseos, significatur nomine terrae et aquae ?*

Resp. Quia eam non poterat Moyses rudi populo, nisi sub similitudine rerum eis notarum, exprimere. Et quidem ne putarent materiam primam esse aut terram aut aquam, illam vocitare noluit terram tantum, aut aquam tantum, sed sub similitudine terrae simul et aquae eam expressit. Nam habet similitudinem cum terra, in quantum subsidet formis et cum aqua, in quantum est apta formari diversis formis Scilicet, carens forma, materia prima nec videri, nec cognosci potest, et est pura potentia, quae per formam repletur. Huc pertinet quod ait Plato, materiam esse locum, in quantum locus locato repletur [2].

10. — Differentia inter opus naturae et opus Dei. — Quod diximus, Deum produxisse res non sine formis, minime infirmatur ex eo quod videmus naturam, in suis operibus, procedere de imperfecto ad perfectum : etenim natura, in sua operatione, imitatur quidem, quantum potest, primam causam, sed tamen, in modo operandi, deficit ab illius perfectione. Etenim, in primis, natura non potest aliquid producere ex nihilo, sicut Deus ; deinde, cum sit limitata in effectu, producit rem in actu de ente in potentia, unde oportet ut in eius operatione, potentia tempore praecedat actum et informitas formationem. Sed Deus producit ens actu ex nihilo, et ideo statim potest producere rem perfectam secundum magnitudinem suae virtutis [3].

[1] l. XII Confess., c. 12 ; l. II super Gen. ad litt., c. 11 ; l. I de Gen. contra Manich., cc. 5 et 7. — [2] Ad 1[m]. — [3] Ad 2[m].

11. — **Quaestio II.** — *Quotuplex distinctio ponitur in Sacra Scriptura in principio rerum?*

Resp. Triplex. Prima est caeli a terra; secunda, elementorum quantum ad formas suas, in hoc quod nominatur terra et aqua; tertia, secundum situm, quia terra erat sub aquis, quibus invisibilis reddebatur. — Sciendum autem, secundum antiquos, quatuor fuisse elementa, scilicet terram, aquam, aerem et ignem; ista vero duo posteriora non nominari in Scriptura, quia Moyses rudibus loquebatur, quibus ista tam manifesta non erant. At verius dicitur, in duobus hisce elementis ea virtualiter claudi, quae necessaria erant ad successivam omnium rerum evolutionem, prout ex infra dicendis clarius apparebit. Siquidem, ut ait S. Augustinus [1], *assidue Scriptura, his duabus partibus* (caelo et terra) *commemoratis, universum mundum vult intelligi.*

Articulus II. — *Utrum una sit materia informis omnium corporalium.*

1. — **S. Thomae positio.** — In hoc articulo, S. Thomas, Aristotelis opinioni insistens, et cedens sententiae tempore suo universaliter vigenti, docet materiam corporum caelestium, quorum est motus circularis qui contrarietate caret, aliam esse a materia corporum elementarium, quae sunt cum contrarietate et quae ad invicem transmutari videmus; unde in illis, ait, forma exhaurit totam potentialitatem materiae, seu materia corporum caelestium est incorruptibilis, materia vero corporum inferiorum, corruptibilis: nimirum, dum est sub una forma, remanet in potentia quantum ad alias formas. — Quod autem haec sententia, etsi fors theoretice probabilis, deseri debeat, evincunt adinventa hodiernae physicae, quae ope analysis spectralis, evincit eiusdem speciei esse materiam corporum caelestium cum materia planetae nostri: quod aliunde cohaeret ei quod in Scriptura legimus, quae nobis futuram exhibet elementorum, ignis opera, dissolutionem [3], post quod erunt *caelum novum et terra nova* [4].

[1] Sed contra, II. — [2] Quaest. in Hept., v, 5. — [3] 2 Petr., III, 10, 12. — [4] Apoc. XXI, 1.

2. — Observanda circa mentem S. Thomae. — Sciendum tamen S. Thomam sententiam hanc non ut absolute certam, sed tantummodo ut academice probabilem proposuisse, ut evidenter apparet ex hoc quod alibi dicit [1], ubi contradictoriae propositioni suam quoque concedit probabilitatem: *Secundum eos qui ponunt caelestia corpora ex natura quatuor elementorum; ... secundum eos qui ponunt corpora caelestia esse alterius naturae ab elementis.* Nimirum, per huiusmodi sententiam, magis splendere videtur harmonia regens metaphysicam universi constitutionem, cum inter res materiales, mutabiles secundum esse substantiale, qualia sunt corpora corruptibilia, et res penitus immateriales et incorruptibiles, ut sunt angeli, ponuntur res corporales, mutabiles quidem secundum locum, immutabiles vero secundum substantiam, qualia censentur corpora caelestia. Potuit autem Angelicus, deficientibus, hinc opticis instrumentis, illinc methodo fixa in analysi spectrali perficienda, sententiam illam, in Summa theologica, in qua ad synthesim omnia usque ad suum tempus cognoscibilia reducere proposuerat, tanquam dialecticum problema consignare. Aliunde, cum caelum nudis oculis consideranti non apparerent, in orbibus illis, mutationes aliquae, quales ex telescopio, sive per maculas in sole, sive per vulcanias eruptiones in aliis sideribus, fieri deducimus, hinc potuit utique concludi illorum materiam mutationi substantiali minime subiici.

3. — Corpora caelestia non sunt animata. — Quod autem veterum plures posuerunt, caelestia corpora esse animata, a Doctoribus scholasticis, admittentibus incorruptibilitatem eorum materiae, facile reiicitur, hac animadversione quod, quia non forma est propter materiam, sed materia propter formam, si orbes illi essent animati, hoc esse deberet ad eorum animae perfectionem obtinendam. Atqui nil prorsus commodi anima ex tali corpore, praecise quia ponitur incorruptibile, consequi posset: non aliquid ad vitam vegetativam aut sensitivam pertinens, cum huiusmodi vitae explicari nequeant sine corpore passibili, ut patet; nil ad

[1] 1, Quaest. LXX, art. 1, ad 1m.

vitam rationalem spectans, cum in tantum corpus animae rationali subserviat, in quantum ei phantasmata subministrat, ex quibus intelligibiles species abstrahit, et quae nonnisi per corruptibile corpus possunt haberi: unde concluditur quod anima frustra tali corpori uniretur. Quocirca, in hypothesi incorruptibilitatis corporum caelestium, dum illa sic agnoscuntur forma totam materiae potentialitatem exhauriente informata, negari oportet eadem substantialiter uniri cuicumque animae.

At, cum ex spectrali horum corporum inspectione, et maxime ex chimica analysi aerolithorum et bolidum, quae sunt astrorum fragmenta praeponderant terrae nostrae attractionem ad nos usque perducta, resultat illorum materiam ad regnum minerale, in hoc planeta, vigens, pertinere, non est cur vel suspicari debeamus, illa anima substantiali utcumque donari, cum tamen substantiis angelicis, in suis motibus, regantur et gubernentur.

4. — **Generatio spontanea penes antiquos.** — Ex hac quoque doctrina clavis subministratur ad recte intelligendum quo sensu antiqui Doctores scholastici, cum S. Thoma, spontaneam generationem ex putri admisisse videantur. Quod certe non ipsi corruptioni, aut soli virtuti solis, sive alterius corporis caelestis attribuebant, sed substantiis separatis, horum corporum motricibus. *Corpus caeleste*, ait Angelicus *cum sit movens motum, habet rationem instrumenti, quod agit in virtute principalis agentis* (angeli). *Et ideo, ex virtute sui motoris, qui est substantia vivens, potest causare vitam*. Nimirum, sicut in naturali generatione animalium, quae ex semine gignuntur, principium activum est virtus formativa quae est in ipso semine; sic, in eorum generatione ex putri, ubi nullum semen apparet, virtus formativa est ipsa virtus corporis caelestis [2]. Et sicut virtus formativa in semine est instrumentum respectu plantae aut animalis parentis, ita virtus formativa corporum caelestium instrumentum est respectu angelorum, quae, velut agentia analogica, quae pro-

[1] 1. Quaest. LXX, art. 3, ad 3[m]. — [2] Ibid., ad 1[m].

ducere possunt effectus sibi in specie inferiores, eo modo quo Deus, qui est causa summa analogica, effectus producit a se diversos, non solum in specie, sed etiam in genere.

5. — **Respuitur generatio spontanea.** — Porro, sciendum est spontaneam generationem. stantibus praesentibus scientiarum adinventis, minime posse sustineri: cum celebriores scientiarum cultores, ut Pasteur et Tyndall, aperte ostenderint quomodo, destructis semel, per altissimum caloris gradum. germinibus in speciali massa liquida diffusis, non amplius produci possunt infusoria, seu animalcula microscopica, quantumvis multiplicentur, hinc quidem combinationes chimicae elementorum, illinc vero propitiae circumstantiae respectu influxus astrorum: unde nequit omnino haberi vita organica, nisi a vivente organico; ita ut, sicut omne vivum est ab ovo, ita etiam omne ovum a vivo oriri debeat. — Ex hoc etiam deducitur, quod pro spiritismi phaenomenis rite cognoscendis valde inservit, angelos minime posse movere substantialiter materiam ad formam; sed eos, miris suis effectibus, seminibus uti, quae in universo sparsa manent.

6. — **Differentia inter systema generationis spontaneae et monismum haeckelianum.** — Erraret igitur quamplurimum, qui censuerit generationem spontaneam, quali scholastici Doctores favisse perhibentur, coincidere cum monismo ab Haeckel invecto, quod systema *monisticum evolutionismum* vocitant, iuxta quem particula protoplasmatis, *monera* vocata, per diversos vitae animalis status successive transeundo, prius quidem pitecanthropus, seu homo-simia, evasisset, usquedum ultimo ad hominem, qualem nunc cognoscimus, ascendisset. Talis enim transitus non minus physice quam metaphysice repugnat; spontanea vero generatio naturae quidem legibus obstat, contradictionem vero non involvit.

Pariter, minus recte diceretur, cum Vigouroux [1], spontanea generatione, qualis a scholasticis proponebatur, ipsum

[1] Manuale Biblico, Vol. I, p. 552, S. Pier d'Arena, 1894.

causalitatis principium negari, cum causalitatem, etsi non univocam, sed analogam, ultro supponerent, ut diximus: unde, si tanquam thesis reiicitur, tanquam hypothesis potest admitti; heterogenia vero haeckeliana nec factis, nec rationi innititur, unde et tanquam thesis simul et hypotesis respuitur.

Ceterum dici potest Angelicus Doctor huiusmodi explicationi non favisse, nisi in quantum problemati solvendo inserviebat, quod tunc temporis alias insolutum manebat; at certe se regulae illi subtrahere nolebat, quam occasione explicationum, quas antiqui philosophi certis quibusdam caelestibus phaenomenis dederant, ipsemet praestituit [1]: *Illorum autem suppositiones quas adinvenerunt, non est necessarium esse veras: licet enim talibus suppositionibus factis appareant solvere, non tamen oportet dicere has suppositiones esse veras; quia forte secundum aliquem alium modum, nondum ab hominibus comprehensum apparentia circa stellas salvatur.*

7. — **Sententia ponentium unam communem formam omnium corporum.** — Exclusa iam sententia dicentium materiam corporum caelestium esse alterius rationis a materia corporum inferiorum, discutienda venit singularis cuiusdam philosophi arabis, cui nomen Avicebron, opinio, qui posuit unam esse omnium corporum formam corporalem, quasi synthesim omnium formarum, aut primordialem quamdam cosmicam formam, quae nonnisi per supervenientes diversas formas, distinctionem causaret in rebus huius mundi. — Huic sententiae affine valde est nonnullorum figmentum, a Scoto susceptum ac propugnatum, qui posuerunt in homine aliam formam, praeter animam intellectivam, formam videlicet corporeitatis, de qua re agit ex professo Angelicus [2].

8. — PROP. — **Forma corporeitatis, in omnibus corporibus, non est alia a formis quibus corpora distinguuntur.**

9. — **Prob.** — Si forma corporeitatis, in omnibus corporibus, alia esset a formis quibus corpora distinguuntur, ipsa

[1] Comment. in II l. Arist. *de Caelo et mundo*, lect. XVII. — [2] 1, Quaest. LXXVI, art. 4.

inhaereret immutabiliter materiae, et, quantum ad illam, esset omne corpus incorruptibile, cum nulla mutatio esset substantialis, sed tantummodo accidentalis. In hoc casu, subiectum corporum esset aliquod ens in actu, ut ponebant antiqui naturales, et sic corruptio accideret per remotionem sequentium formarum, quae non esset corruptio simpliciter, sed secundum quid, quia privationi substerneretur aliquod ens actu. Atqui datur, in rebus corporalibus, vera mutatio substantialis, ut experientia necnon principiis sacrae theologiae exigitur. Ergo non est, in corporibus, forma corporeitatis praevia formis quibus corpora distinguuntur.

10. — Explicatur. — Idipsum explicari potest per id quod habet Angelicus, dum agit de anima rationali ut unica forma in homine: argumentum enim aeque applicatur omnibus corporibus. Si *praeter animam intellectivam, praeexisteret quaecumque alia forma substantialis in materia, per quam subiectum animae esset ens actu, sequeretur quod anima non daret esse simpliciter, et per consequens quod non esset forma substantialis, et quod per adventum animae non esset generatio simpliciter, neque per eius recessum corruptio simpliciter, sed solum secundum quid: quae sunt manifeste falsa.*

11. — Corollarium. — Quae cum ita sint, patet nullo modo admitti posse recentiorum naturalistarum figmentum, volentium cuncta chimica phaenomena non esse nisi simplices modificationes accidentales materiae cuiusdam primigeniae. Sane, talis positio non solum datis scientiae minime requiritur; verum etiam ipsis chimicis experimentis contradicit [1].

[1] Quocirca, probari nequit id quod non ita pridem scribebat Dr. Zahm in op. EVOLUTION AND DOGMA, p. 54: *Should it eventually be demonstrated that all the known chemical elements are only modifications of one primal form of matter, and this is far from impossible, or even improbable, then will be vindicated the old greek theory of primordial matter, πρώτη ὕλη, a theory ardently championed by St. Gregory of Nyssa, and defended in some form or other by many of the Schoolmen.* Verum etenim non est, sive S. Gregorium Nyssenum, sive Doctores scholasticos, tali sententiae favisse.

12. — Status mundi in initio, secundum recentiora naturalistarum placita. — Volunt scientiarum physicarum cultores, quamdam extitisse in initio materiam gasseam, seu, ut aiunt, nebulosam, per totum universum dispersam, atque motu dotatam, ex qua, temporis decursu, virtute agentium naturalium, res huius mundi fuerint formatae. Quae quidem sententia utique retineri poterit, dummodo, hinc quidem, ab hac spontanea evolutione origo viventium penitus excludatur, illinc vero, substantialis aliquorum elementorum differentia salvetur, scilicet duorum saltem, puta, hydrogenii et oxygenii, ex quorum mutua actione, seu ut dici solet, combinatione, sub influxu motus localis, mirabilis rerum varietas surrexerit.

13. — Chaoticus status mundi in initio. — At, cum hoc stat, magnam extitisse, initio mundi, rerum confusionem, cum constans lex sit, res de statu imperfectionis ad perfectionem nonnisi gradatim devenire. Quam chaoticam orbis primaevam conditionem pulcre describit Ovidius [1]:

Ante mare et tellus, et quod tegit omnia caelum.
Unus erat toto naturae vultus in orbe.
Quem dixere Chaos, rudis indigestaque moles,
Nec quidquam, nisi pondus iners, congestaque eodem
Non bene iunctarum discordia semina rerum.
. . . . . .
Quaque fuit tellus, illic et pontus et aer.
Sic erat instabilis tellus, innabilis unda,
Lucis egens aer, nulli sua forma manebat,
Obstabatque aliis aliud, quia corpore in uno
Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus:
Hanc Deus, et melior litem natura diremit [2].

Haud dissimilis est elegans descriptio a S. Gregorio Nazianzeno exarata.

[1] Metamorph., I. — [2] L. I. Carm., Sect. II. mor. In laudem virgin., v. 58. seqq. Paris., 1842.

Ἦν ποτ' ἔην, ὅτε πάντα κελαινὴ νὺξ ἐκάλυπτεν.
Οὐδ' ἄρ ἔην ἠοῦς ἐρατὸν φάος, οὐδὲ κέλευθον
Ἥλιος πυρόεσσαν ἐπέσσυτο ἀντολίηθεν.
Οὐ μήνη κερόεσσα φαείνετο, νυκτὸς ἄγαλμα.
Πάντα δ' ἄμ' ἀλλ'ήλοισι φορούμενα, μὰψ ἀλάλητο
Πρωτογόνου χάεος ζοφεροῖς δεδμημένα δεσμοῖς.

14. — Dantis Alighierii descriptio primae formationis rerum. — Huc quoque pertinet sequens Dantis Alighierii primae rerum formationis descriptio [1].

Forma e materia congiunte e purette
Usciro ad atto che non avea fallo,
Come d'arco tricorde tre saette:
E come in vetro, in ambra od in cristallo
Raggio risplende sì, che dal venire
All'esser tutto non è intervallo;
Così il triforme effetto dal suo Sire
Nell'esser suo raggiò insieme tutto.
Senza distinzïon nell'esordire.
Concreato fu ordine e costrutto
Alle sustanzie, e quelle furono cima
Del mondo, in che puro atto fu produtto.
Pura potenzia tenne la parte ima;
Nel mezzo strinse potenzia con atto
Tal vime, che giammai non si divima.
Jeronimo vi scrisse lungo tratto
Di secoli, degli angeli, creati
Anzi che l'altro mondo fosse fatto:
Ma questo vero è scritto in molti lati
Dagli scrittor dello Spirito Santo;
E tu lo vedrai, se ben vi guati.
Ed anche la ragion lo vede alquanto,
Chè non concederebbe che i motori
Senza sua perfezion fosser cotanto.

[1] *Parad.* cant. XXIX, ver. 22, seq. — Iure de hoc poeta scripsit Leo XIII: *Hoc insigni litterarum monumento magna sapientiae copia de divinis humanisque rebus continetur.* Epist. ad Iac. Poletto, 3 Nov., 1894.

Articulus III. — *Utrum caelum empyreum sit concreatum materiae informi.*

1. — **Ratio articuli.** — Cum iam constiterit materiam corporalem initio mundi creatam fuisse, et quidem non absque forma, nec sub una forma communi, iam deveniendum est ad determinandum de corpore superiori, id est de caelo empyreo, quod sanctorum angelorum et animarum locus assignatur. Ubi tamen primo de angelorum creatione aliqua erunt praelibanda, pauca tamen, cum de istis puris substantiis specialis tractatus instituatur.

2. — **Creatio Angelorum secundum Patres graecos.** — Secundum doctrinam Patrum graecorum, longe ante materiam informem creatus est a Deo exercitus angelicus, qui illi tanquam caelestis curia iugiter adsisteret: quorum sententia his verbis S. Ioannis Damasceni continetur [1]: *Quidam dicunt* (angelos) *ante alias res creatas factos esse, ut testatur Gregorius theologus, his verbis: Primum quidem excogitat angelicas et caelestes virtutes, et excogitatio illa opus extitit.* τινὲς μὲν οὖν φασιν ὅτι πρὸ πάσης κτίσεως ἐγένοντο, ὡς ὁ θεολόγος λέγει Γρηγόριος· πρῶτον μὲν ἐννοεῖ τὰς ἀγγελικὰς δυνάμεις καὶ οὐρανίους, καὶ τὸ ἐννόημα ἔργον ἦν. Porro, sciendum, S. Gregorium hic nominatum, esse Nazianzenum, qui a S. Hieronymo vocatur [2], *vir valde eloquens, et in Scripturis apprime eruditus.* Idem S. Hieronymus sententiam hanc ita exprimit [3]: *Mille necdum nostri orbis implentur anni: et quantas prius aeternitates, quanta tempora, quantas saeculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus angeli, throni, dominationes, ceteraeque virtutes servierunt Deo.*

3. — **Sententia Patrum latinorum.** — At probabilior longe est latinorum Patrum sententia, angelos non ante materiae creationem, sed simul cum illa fuisse conditos. Enimvero, angeli pars sunt universi, cum unus sit tantum-

[1] L. II Orthod. fidei, c. 3. — [2] Comment. in Epist. ad Ephes., l. III, c. V, vers. 32. — [3] Comment. in Epist. ad Titum, c. I, vers. 4.

modo mundus, ipsique ad mundum hunc constituendum sic concurrant una cum materia corporali, cuius etiam directioni atque gubernationi praeponuntur [1]. Porro, hoc habet ordo et relatio uniuscuiusque partis relate ad totum, ut una pars non sit perfecta, cum separatur a toto. Ergo Deus, cuius perfecta sunt opera [2], non debuit creare sive substantias spirituales ante materiam corporalem, sive, vicissim, materiam corporalem ante substantias spirituales [3].

4. — **Scholion.** — Licet sententia Patrum latinorum de fide non sit, nihilominus conformior est Textui sacro, in quo non solum nulla fit mentio alicuius creationis ante creationem caeli et terrae, sed eam quoque excludere videtur, his verbis: *In principio creavit Deus caelum et terram*, quae vera non essent, si quid creatum fuisset ante materiam corporalem. — Et quamquam doctores graeci conantur difficultatem hanc evadere, dicentes verba, *in principio*, sumi posse ad significandum *in Filio*, aut etiam *in principio rerum*, nihilominus probabilius dicitur ea significare etiam *in principio temporis*, cum harmonia universi requirat ut simul cum materia corporali conditi fuerint [4].

Cum autem dicitur angelus conditus fuisse in principio temporis, non exinde deduci debet illum subiacere tempori; etenim, ut explicat S. Thomas [5], *angelus est supra tempus, quod est numerus motus caeli, quia est supra omnem motum corporalis naturae, non tamen est supra tempus quod est numerus successionis esse eius post non esse, et etiam quod est*

[1] Docuit peripateticorum princeps, sola caelestia corpora moveri ac regi a substantiis spiritualibus, unde etiam ex numero motuum illorum, harum substantiarum numerum arguit (L. XII Metaphysic., t. 44); at sanctorum Doctorum placitum fuit, corpora quoque inferiora ab angelis regi atque gubernari (1, Quaest. CX, art. 1, ad 2[m]). — [2] Deut., XXXII, 4. — [3] Vide tr. n. DE ANGELIS, Vol. I, Quaest. LXI, art. 3, pp. 254, seq. — [4] Hinc probanda non sunt haec verba P. de Hummelauer: *Darum ist dann auch selbstverständlich unter* HIMMEL *nicht die Geisterwelt zu verstehen, weder allein, weil dieselbe ja am Ende der Zeiten nicht zerstört wird, noch zugleich mit dem materiellen Himmel, weil eben keinerlei Anlass vorliegt, die Geisterwelt* Gen. 1 *mit hereinzubeziehen.* Op. cit. p. 6. — [5] 1, Quaest. LXI, art. 2, ad 2[m].

numerus successionis quae est in operationibus eius. Unde Augustinus dicit [1], *quod Deus movet creaturam spiritualem per tempus.* — Quae cum ita de angelis constiterint, iam accedendum est ad aliqualem caeli empyrei descriptionem.

5. — **Describitur caelum empyreum.** — Per caelum empyreum, quod ab ἐν et πυρόω, *accendo*, derivatur, quod quidem non ab ardore, sed a splendore dicitur, et quod a Strabo et Ven. Beda [2] agnoscitur in illo caelo quod in initio, id est, vel ante primum diem, factum legitur, intelligitur immensum illud spatium, perfecte translucidum, ad confinia substantium caelorum, qui postea facti sunt, expansum, et extra quod nihil est [3], et quod in loco non est [4], ut ait Aligherius, qui illud ita pulcherrime describit [5]:

... Noi semo usciti fuore
Del maggior corpo, al ciel che è pura luce,
Luce intellettual piena d'amore,
Amor di vero ben pien di letizia.
Letizia che trascende ogni dolzore.

Questo luogo, dicit adhuc Aligherius [6], *è di spiriti beati, secondo che la Santa Chiesa vuole, che non può dire menzogna, e Aristotele pare ciò sentire chi bene lo 'ntende, nel primo di Cielo e Mondo.*

6. — **Scholion.** — Notandum vero quod, licet existentia cuiusdam caeli, in quod animae sanctorum recipiuntur post mortem, sit doctrina fidei [7], nihilominus non proprie de fide est, caelum istud esse empyreum, quale modo iuxta Angelici placita descripsimus, cum hoc non sit definitum ab Ecclesia, nec a sacro Textu requiratur: nihilominus, ait Sylvius [8], hoc negari non potest absque magna temeritate, ob pondus auctoritatis ex parte omnium theologorum. — Cum hoc stat,

[1] L. VIII, super Gen. ad litt. cap. 20 et 21. — [2] Glossa ordin, super illud: *In Principio.* — [3] Convito. II, 4. — [4] *Non è in luogo e non s'impola.* Parad., c. XXIV, v. 67. — [5] Ibid., c. XXX, v. 38, seq. — [6] Convito, I, 4. — [7] Conc. Flor., Sess. ult., e Conc. Trid., Sess. XXV. decret. de Invoc. SS. — [8] In 1, Quaest. LXVI, art. 3.

necesse non esse ut iis quae de natura specifica huius caeli empyrei, necnon de illius influxu in inferiores caelos speculatur Angelicus, et cum eo Doctores scholastici, pressius inhaereamus, cum illi, ut plurimum erratae physicae placitis uterentur, sed nec nimia vis facienda est in nomine *caelum empyreum*, dicente ipso S. Thoma [1]: *Sive id dicatur caelum empyreum, sive qualitercumque nominetur.* — In uno igitur tantummodo insistendum erit, scilicet ut dicatur

7. — PROP. — Caelum empyreum concreatum est materiae informi.

8. — Ratio theol. — Duplex, in futura remuneratione, gloria exspectatur, spiritualis videlicet et corporalis, non solum in corporibus humanis glorificandis, sed etiam in toto mundo innovando. Porro, inchoata est spiritualis gloria, ab ipso mundi exordio, in beatitudine angelorum, quorum aequalitas sanctis promittitur. Unde conveniens fuit, ut etiam a principio corporalis gloria inchoaretur in aliquo corpore, quod etiam a principio fuerit absque servitute corruptionis et mutabilitatis, et totaliter lucidum, sicut tota creatura corporalis exspectatur post resurrectionem futura [2]. Est igitur caelum empyreum locus corporeus, contemplationi deputatus ob congruitatem, ut scilicet exterior claritas interiori conveniat [3].

9. — Angelorum creatio in caelo empyreo. — Dicendum igitur, in hoc caelo empyreo angelos fuisse creatos. Nam angeli naturaliter habent aliquem ordinem ad materiam corporalem: non quidem ordinem unionis substantialis, sicut anima nostra, sed ordinem directionis et regiminis. Hinc conveniens fuit ut crearentur in supremo corpore, quasi ad indicandam eorum praesidentiam supra materiam corporalem; unde et S. Isidorus dicit quod supremum caelum est caelum angelorum [4].

10. — Scholion. — Cum hoc tamen stat, non necesse dici *omnes* angelos in caelo empyreo fuisse conditos: nam,

[1] 1, Quaest. LXI, art. 4. — [2] Corp. art., ad litt. — [3] Ad 3[m]. — [4] Gloss. ord. in Deut., X, 14.

ut ait ipsemet Angelicus [1] *nihil prohibet dicere quod superiores angeli, habentes virtutem elevatam et universalem supra omnia corpora, sint in supremo creaturae corporeae creati; alii vero habentes virtutes magis particulares, sint creati in inferioribus corporibus.* — Ne quis autem miretur, audiens mentionem de loco in relatione ad angelos qui, utpote substantiae incorporeae, non dependent ab aliquo corpore, sive in esse, sive in fieri, opportunum ducimus ob lectoris oculos ponere verba S. Thomae [2]: *Angeli non sunt creati in loco corporeo, quasi dependentes a corpore secundum suum fieri; potuisset enim Deus angelos ante totam creaturam corporalem creasse, ut multi sancti Doctores tenent* (id est Doctores graeci); *sed facti sunt in loco corporeo ad ostendendum ordinem eorum ad naturam corpoream, et quod sua virtute corpora contingunt.*

Articulus IV. — *Utrum tempus sit concreatum materiae informi.*

1. — Sententiarum differentia inter S. Augustinum et ceteros Patres. — Iam dictum est [3], differre S. Augustinum a ceteris Patribus, quoad primam mundi originem, in hoc quod ille censuerit omnia simul fuisse condita; hi vero secundum successionem: et ille quidem huic dicto Sacrae Scripturae innitebatur [4]: *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul,* ὁ ζῶν εἰς τὸν αἰῶνα ἔκτισε τὰ πάντα κοινῇ; illis vero sacro textui, ubi potius successiva rerum evolutio exhibetur, pressius insistendum videbatur; et secundum hanc sententiarum differentiam, praebenda est quaesito differentia responsionum. — Ubi statim sedulo recolendum est, secundum Patres qui ponunt informitatem materiae tempore praecessisse formationem eius, ponenda esse quatuor in initio concreata, quae sunt, primo, natura angelica, secundo, caelum empyreum, tertio, materia informis, quarto, tempus [5].

[1] 1, Quaest. LXXI, art. 4, ad 2[m]. — [2] 1, Quaest. LXI, art. 4, ad 1[m]. — [3] Art. 1 huius quaest., pp. 177, seq. — [4] Eccli., XVIII, 1. — [5] Cf. supra, Quaest. XLVI, art. 3, n. 6, p. 116.

Ideo autem dicitur tempus concreatum materiae informi, quia necesse est ponere mensuram aliquam durationis, quae aliud non est, nisi tempus.

2. — Quale fuit tempus in initio creatum. — Non est autem necesse ut dicatur tempus tunc creatum eiusdem omnino rationis fuisse ac tempus nostrum. Imprimis enim, cum nondum esset nox et dies, ideo non fuit tempus distinctum per diem et noctem, sed fuit quodammodo informe, sicut materia primitus informis fuit [1]. — Deinde, cum tempus sit numerus motus secundum prius et posterius, et motus firmamenti non statim a principio incoeperit, sed secunda tantum die, hinc tempus quod praecessit non fuit motus firmamenti, sed cuiuscumque primi mobilis: accidit enim tempori quod sit numerus motus firmamenti, in quantum hic motus est primus motuum. Unde, si alius fuisset motus primus, huius mensura fuisset tempus, cum omnia mensurentur primo sui generis [2]. - Denique, etiamsi non fuissent, a principio, nisi substantiae angelicae, adhuc tamen oporteret agnoscere motum aliquem, ad minus secundum successionem conceptionum et affectionum in earum mentibus, et tunc adhuc tempus foret agnoscendum, non quidem continuum, sed discretum [3].

3. — Sententia S. Augustini. — Notandum, S. Augustinum, cum, ut diximus [4], posuerit informitatem materiae corporalis non praecessisse tempore formationem ipsius, sed tantum origine, vel ordine naturae, non admittere tempus concreatum fuisse materiae informi; unde, ad Deum loquens, ait [5]: *Duo reperio, quae fecisti carentia temporibus, scilicet materiam primam corporalem, et naturam angelicam* [6]. Igitur, natura angelica et materia informis, secundum illum, praecedunt motum et tempus, non quidem duratione, sed natura, unde nequit tempus eisdem connumerari [7]. — At de hac S. Augustini sententia erunt adhuc ampliora, tractatus decursu, tradenda.

[1] Advertendum tamen, ly *simul*, in graeco, κοινῇ, *communiter*, significare nulla re excepta. — [2] Ad 2ᵐ. — [3] Ad 3ᵐ. — [4] Art. 1. — [5] L. XII Confess., c. 12. — [6] Cf. Ibid., c. 13. — [7] Ad 1ᵐ.

4. — **Quaestio I.** — *Quare, inter primo creata, non computantur motus et locus?*

Resp. Quantum ad motum, dicendum, illum non habere rationem communis mensurae, sicut tempus, sed comparari solum ad subiectum mobile: inter primo creata vero, ea tantum computantur, quae habent generalem habitudinem ad res [1]. — Quantum vero ad locum, hic intelligitur creatus in caelo empyreo omnia continente. Locus vero concreatus est totus simul, quia est de permanentibus; tempus vero concreatum est in suo principio, quia non est permanens, et de eo, etiam modo, nihil est accipere, nisi nunc.

5. — **Quaestio II.** — *Quonam anni tempore conditus est a Deo mundus?*

Resp. Id plures censent fuisse in aequinoctio verno, rati sententiam hanc fulciri tum relatione operis tertiae diei, cum legitur terra herbam virentem et lignum pomiferum germinasse habens semen in semetipso [2], tum auctoritate concilii Palaestini, habiti sub Victore Pontifice, anno Domini 198 [3].

At, cum nondum esset sol formatus, ex cuius vicissitudinibus variae anni tempestates discriminantur; aliunde hexameron mosaicum ad indeterminatas, ut dictum est, periodos temporis, sit referendum, ideo melius et prudentius amovetur ista quaestio, maxime cum retineri possit diuturnam valde temporis longitudinem intercessisse inter primam materiae creationem et opus distinctionis rerum, de qua re in sequenti quaestione agetur.

Hoc loci, recoli potest opinio nonnullorum antiquorum auctorum, tenentium res originem habuisse verno tempore: quod ita eleganter exprimitur a Virgilio [4]:

> *Non alios prima crescentis origine mundi*
> *Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem*
> *Crediderim: ver illud erat, ver magnus agebat*
> *Orbis, et hibernis parcebant flatibus Euri,*
> *Cum primae lūcem pecudes hausere, virûmque*
> *Ferrea progenies duris caput extulit arvis,*
> *Immissaeque ferae silvis, et sidera caelo.*

[1] Ad 3[m]. — [2] Gen., I, 11. — [3] Mansi, t. I, col. 712. Cf. Corn. a Lapide, Comment. in Gen., c. I, v. 12. — [4] L. II Georgic., vers. 336, seq.

Videtur quoque Dantes sententiam hanc amplexus fuisse, cum ait se mysteriosum iter verno tempore suscepisse [1],

... quando l'amor divino
Mosse dapprima quelle cose belle.

6. — Quaestio III. — *Utrum, in opere sex dierum, Deus usus sit ministerio angelorum?*

Resp. Cum angelorum operatio in corpora limitetur ad motum localem eorumdem, ideo, cum de institutione rerum agitur, haec dicenda est ita a Deo pependisse, ut in ea interventus angelicus locum non habuerit. Soli enim Deo competit et formas rebus indere, et dispositiones ad formas, et consequentia ad ipsas, seu proprietates; unde, percurrendo per opera singulorum dierum, dicendus erit Deus immediate lucem produxisse, aquas et terram ex primigenia materia distinxisse et formasse, fecisse ut plantae germinarent et animalia in tribus elementis pullularent, solem, lunam et stellas instruxisse, hominem, scilicet tum Adamum, tum Evam, produxisse; dicendus quoque erit materiam omnium istarum rerum per se ipsum disposuisse ad hoc ut debitas formas possent suscipere, necnon easdem congruis proprietatibus, formam sequentibus, immediate ditasse. Quocirca S. Thomas dicit [2]: *Opera sex dierum Deus fecit immediate.* — At vero nihil obstat quin dicatur Deus, in quibusdam ex hisce operibus, angelorum ministerio usus fuisse, puta in colligendo materiam corporum caelestium, aut limum unde formari debebat corpus Adae, aut etiam in extrahenda ex eo costa ad formandum corpus Evae [3].

[1] INFERNO, cant. I, vers. 33, 40. Vide etiam PARAD., cant. XXIX, vers. 1, seq. — [2] I, Quaest. CV, art. 2, *sed contra*. — [3] Quomodo intelligendum sit quod dicitur (Gen. I, 9, 10) Deum *congregasse aquas in locum unum*, dicetur in tr. DE GUBERNATIONE RERUM, Quaest. CV, art. 2, n. 3.

QUAESTIO OCTAVA.

(LXVII-LXIX).

DE OPERE DISTINCTIONIS SECUNDUM SE.

Prologus.

1. — **Utilitas revelationis de origine rerum.** — Inter veritates quas Deus hominem, per propheticam revelationem, docere dignatus est, illa certe eminet, quae primam rerum huius mundi originem respicit, quam cognitionem, per solas naturae vires nonnisi imperfectam valde et mancam haurire possemus: quae quidem revelatio Geneseos initio continetur.

Equidem, non unica aut ultima huius manifestationis intentio fuit, ut de physica orbis constitutione instrueremur, cum quae divinitus scripta sunt ad nostram doctrinam sint scripta, *ut per patientiam et consolationem Scripturarum, spem habeamus* [1]; attamen, cum Deus, revelationis auctor, nec falli, nec fallere possit, hinc non ea tantum quae gratiae vitam respiciunt, sed documenta quoque ad ordinem naturae spectantia reverenti et grato prorsus animo suscipere debemus, quatenus magnum inde lucis adiutorium exspectare liceat, ad plenius cognoscendam mundi constitutionem.

2. — **Concordia inter cosmogoniam mosaicam et recentiora physica adinventa.** — Porro, licet christianae fidei osores, quovis utique tempore, sed maxime postquam pseudophilosophi revelationem directe impugnarunt, huc vires suas contulerint, ut Moysis narrationem de origine et distributione rerum et maxime Patrum ac Doctorum Ecclesiae hac de re interpretationem, tanquam scientiarum adinventis con-

[1] Rom., XV, 4.

trarias, et velut aniles fabulas spernendas conclamarent, nihilominus ex accuratioribus institutis studiis sole clarius resultat, in nullo pugnare genesiacam cosmogoniam sive cum fixis legibus physicis, sive cum exploratis experientiae adinventis : immo magnum ex illa studium τοῦ κόσμου incrementum accipere.

Rite hac in re advertit recens scriptor, quod si qua inter Scripturae verba et sic dictam naturae scientiam deprehendatur, haec tantummodo apparens est et per rectam terminorum explicationem solvitur; vel repetenda est ab eis qui aut aliquid gratis afferunt tanquam indubium Scripturae sensum, aut qui meras hypotheses tanquam obiectivas theses adstruunt. Debent ergo tum Scripturae, tum scientiae cultores, unusquisque in sua provincia, clare distinguere id quod certum ac comprobatum manet, ab eo quod nondum plene exploratum fuerit [1].

3. — Variae Patrum sententiae. — Ad uberiorem intelligentiam eorum quae hac de re scripserunt Patres, recolendum est, duplicem apud eos occurrere rationem opus distinctionis, quale a Moyse descriptum est, interpretandi, scilicet allegoricam et litteralem.

Imprimis, allegoricam interpretationem in pluribus secuta exhibetur schola Alexandrina. Sic Clemens Alexandrinus, per caelum angelos, lucem vero intelligibiliter inter-

[1] Ita scribebat, non ita pridem Dr. Aemilian Schöpfer, Prof. in Brixen, in opere Geschichte des alten Testaments, mit besonderer Rücksicht auf das Verhältnis von Bibel und Wissenschaft : *Tritt ein Widerspruch dennoch zutage, so ist er entweder nur ein scheinbarer und wird durch die richtige Erklärung der Termini gelöst, oder er ist durch jene verschuldet, die sich, sei es mit der heiligen Schrift, sei es mit der Wissenschaft, befallen. Entweder wird nämlich etwas ohne hinreichenden Grund als zweifelloser Sinn der heiligen Schrift erklärt, oder es wird als gewisses Resultat der Wissenschaft ein Satz aufgestellt, der nur den Wert einer Hypothese, vielleicht nur einer einfachen Meinung besitzt. Es müssen demnach sowohl Schrifterklärer als Naturforscher, jeder auf seinem Gebiete, sehr genau unterscheiden zwischen Gewissheit, Probabilität und Meinung und dürfen nicht einer noch so probablen Ansicht den Charakter der Gewissheit vindicieren.*

pretatur [1]. Sed praecipue Origenes [2] asserit se, ex Geneseos capite secundo [3], motum esse ad creationem simultaneam adstruendam, unde sex dierum opificium allegorice interpretatur; qui eousque procedit [4], ut impossibile reputet sensu litterali distinctionem dierum in opere creationis accipere: denique narrationem mosaicam sensu allegorico [5], de hominis per gratiam regeneratione, exponit. Ex latinis autem Patribus, celeberrimus evasit S. Augustinus, qui non modo simultaneae creationi favet [6], sed etiam quae dicuntur, *vespere et mane*, de angelorum cognitione exponit [7]. Hunc S. Isidorus secutus est, mysticam subiungens interpretationem.

At communius Patres, tum graeci, tum latini, litteralem interpretationem sequuntur. Sic, S. Ephrem Syrus [8] simultaneam respuit creationem, quam vult in tempore factam; dies quoque intelligit naturales, a vespera computandos. Similiter S. Ioannes Chrysostomus [9] Spiritum Dei putat esse virtutem quamdam vivificatricem. S. quoque Basilius [10], necnon S. Gregorius Nyssenus [11] eidem litterali interpretationi insistunt, licet interdum sensum metaphoricum admittant. Cum his conveniunt Theodoretus [12], et S. Cyrillus Alexandrinus [13], quos sequitur insignis scriptor S. Ioannes Damascenus [14].

Ex latinis, S. Hieronymus [15], S. Ambrosius [16], S. Gregorius magnus [17], simultaneam creationem respuunt, sedulo distinguentes creationem primam materiae a sequenti distinctione rerum: quos postea secuti sunt Ven. Beda [18]; Rabanus Maurus [19]; Walafridus [20], Alcuinus [21]. — De S. Augustino fusior postea sermo recurret [22].

[1] Strom., V, 14. — [2] Contra Celsum, l. VI, n. 60. — [3] Vers. 4: *Iste est liber generationis caeli et terrae, quando creata sunt, in die quo fecit Deus caelum et terram.* — [4] De principiis, l. IV, 16. — [5] Homil. I in Gen. — [6] De Gen. ad litt. Op. imperf., c. XV, n. 51. — [7] De Gen. ad litt., l. IV, c. 22, seq. — [8] Comment. in Gen. — [9] Homil. in Gen. — [10] Homil. in Hexaemeron. — [11] In Exaem., explic. apologet. — [12] In quaestion. in Genesim. — [13] C. Iulian., l. II. — [14] L. II, de fide ortodoxa, c. 5, seq. — [15] Quaest. hebr. in Genesim. — [16] In Hexaemeron. — [17] Moral., l. XXXII, c. 12. — [18] In Hexaemeron. — [19] In Genesim. — [20] In Glossa ordinaria. — [21] Resp. et interrogat. in Genesim. — [22] App. ad art. 3, Quaest. IX.

4. — Observanda circa Patrum et Doctorum Ecclesiae explicationes. — Porro, cum omnino compertum sit Sacrae Scripturae non posse ullo modo subesse falsum, de Patribus tamen atque Doctoribus Ecclesiae hoc edicendum erit, eos, in hoc quod pertinet ad metaphysicam rerum naturam, ad earum proprietates, actiones, finalitatem, rem quidem acu tetigisse : in eo vero quod ad scientiarum adinventa et multiplices applicationes spectat, eosdem, aptis deficientibus instrumentis et astronomicis supputationibus nondum plene evolutis, in errorem interdum perductos fuisse. At, si in quibusdam, puta, in systemate planetario, in animalium inferiorum generatione, decepti perhibentur, in aliis tamen adeo pretiosa veritatis documenta, per modum biblici commentarii, tradiderunt, ut magnum sibi detrimentum inferant, qui eorum placita ignorant, aut, quod peius est, superbe contemmunt. Sane, dolendum est, scripta horum summorum ingeniorum mundi constitutionem respicientia, a multis, ob deprehensos in eis aliquos errores correctu quidem facillimos, penitus praetermitti.

5. — Cautela in accipiendis hypothesibus hodiernorum auctorum. — At, non solum exstimulandi sunt scientiarum cultores ut sapientiam omnium antiquorum exquirant, verum etiam admonendi, ne se temerariis deductionibus hodiernae scientiae sinant decipi, cum quamlibet novam hypothesim, puta de specierum evolutione, traditionali doctrina reiecta, accipiunt, ita se sinentes a spiritu erroris, caeca praecipitatione, abripi [1]. — Ex altera vero parte, nihil negliget scientiarum sedulus cultor eorum quae ex noviter inventis, iuxta leges sanae critices, in lucem sunt producta. Sane, quemadmodum animi levitatem praeseferret qui omni, vel peregrinae hypothesi, vel audaci assertioni ultro assentiretur;

[1] Ex iis qui, hac in re virgula censoria notari merentur, iure recensetur Alfridus Loisy (*Études bibliques*, Paris, pag. 70): *Notre opinion est que les premiers chapitres de la Genèse ne contiennent pas une histoire des origines du monde et de l'humanité, mais plutôt la philosophie religieuse de cette histoire, bien qu'il y ait dans ces chapitres certains souvenirs traditionnels ayant une signification historique.*

ita mentis angustae nimis indicium esset, si quis novas applicationes ex physica, mechanica aut chimica scientia deductas a priori excluderet, cum primum nostrum officium sit grato animo ea omnia suscipere, quibus scientiae thesaurus utcumque ditatur. In quo observanda sunt aurea Angelici Doctoris verba [1]: *Mihi videtur tutius esse, ut haec quae philosophi communius senserunt, et nostrae fidei non repugnant, neque sic esse asserenda ut dogmata fidei, licet aliquando sub nomine philosophorum introducantur; neque sic esse neganda tanquam fidei contraria; ne sapientibus huius mundi contemnendi doctrinam fidei occasio praebeatur.*

6. — Significatio huius nominis, DIES, in Genesi. — Porro, cum series divinorum operum, quibus in Scriptura legitur Deus distinxisse et ornasse res mundanas, inveniatur per sex dies ordinatim distributa, primo loco advertere debemus nomen hoc, *dies*, non pro naturali die, accipi debere, licet hoc modo a Doctoribus scholasticis fuerit acceptus, iuxta id quod scribit S. Thomas [2]: *Per istos dies, et successio dierum temporalium ostenditur, et successio productionis rerum.* Etenim, secundum probabiliorem sententiam, per diem genesiacum intelligi debet plus minusve longa temporis duratio, seu periodus, cuius extrema per verba *vespere et mane* designantur. Revera, hinc quidem sensus iste ipso hebraico nomine, quo utitur Moyses, *iom*, ultro permittitur; illinc vero, idem exigi videtur ipsa stratorum telluricorum superpositione, quae genesiacis diebus correspondet [3].

Porro, quemadmodum tenebrae praecesserunt lucem, ita nox praecessit diem: ideoque ab uno vespere ad alterum, tum Hebraei tum Ecclesia diem computant; ubi sedula mente retinenda est S. Thomae animadversio [4]: *Vespere et mane ponuntur ut termini diei, cuius mane est principium, sed vespere finis, vel quia per vespere designatur principium noctis, per*

[1] Opusc. IX. — [2] 1, Quaest. LXXIV, art. 2. — [3] Brevem, at quantum a theologo cognosci debeat sufficientem, elementorum stratificationem, qualis ex geologicis adinventis resultat, exhibuimus in op. L'OPERA DEI SEI GIORNI, P. I, C. VII, n. 10, Vol. I, p. 292, seq. — [4] 1, Quaest. LXXIV, art. 3, ad 6[m].

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

mane principium diei: congruum autem fuit, ut, ubi commemoratur prima distinctio rerum, sola principia temporum designarentur. Praemittitur autem vespere, quia cum a luce dies inceperit, prius occurrit terminus lucis, quod est vespere, quam terminus tenebrarum et noctis, quod est mane; vel, secundum Chrysostomum [1], *ut designetur quod dies naturalis non terminatur in vespere, sed in mane.*

7. — In computandis diebus genesiacis ratio haberi debet terrestrium fossilium. — Porro, cum hinc quidem Scripturae falsum subesse nequeat, illinc vero librum naturae Deus nobis ob oculos posuerit, ut illum pro nostra instructione legamus, hinc suo ille muneri deesset, qui ita sex dierum opera investigare praesumeret, ut omnem illorum thesaurorum, qui in visceribus terrae passim discooperiuntur, considerationem seponeret, quibus successiva et ordinata rerum longo inde tempore existentium series exhibetur. Siquidem, talis adinvenitur, in terrae visceribus, petrificatorum animalium distributio, quae fossilia audiunt, ut productionibus tertii et quinti diei correspondeant, ideoque talem demonstrent operum successionem, quae nonnisi longis temporum intervallis compleri potuerit.

8. — Ex fossilibus indicia licet sumere primaevae productionis rerum. — Quod autem non liceat negligere considerationem huiusmodi fossilium, apparet ex hoc quod non casu aut fortuito, in visceribus terrae collocata inveniuntur, sed lentam ac successivam plantarum et animalium formationem evincunt.

Enimvero, nulla ex causis quas aliqui, praeter istam, assignare praetendunt, sufficientem horum fossilium rationem reddit. Sunt enim imprimis qui illa perturbationi diluvianae adscribere volunt: at, si ita esset, praeter plantarum et animalium reliquias, inveniri deberent etiam, in stratis fossiliferis, etiam hominum vestigia, quod tamen nunquam evenit: praeterea, non sat diu perduravit diluvium, ut inde ratio deduci valeat stratorum sedimentariorum grossitiei.

[1] Homil. V, in Gen.

Nec minus arbitrarie aliis visum est, fossilium existentiam in visceribus terrae cuidam velut naturae lusui adscribi posse, quasi Deus, *ludens in orbe terrarum* [1], mundum cum hisce apparentibus viventium reliquiis condere voluerit. — Nam, quod huiusmodi consilium ad sapientissimam Dei providentiam minime pertinuerit, primo ex hoc apparet, quod non videtur quanam intentione Deus hoc modo processisset, qui nos sic potius in errorem, quam in aedificationem induxisset. Deinde fossilium dispositio, in stratis sedimentariis, adeo ordinata apparet, ut illa certum exhibeant processum a formis inferioribus ad superiores. Sic, in primaria epoca, quae palaeozoica dicitur, et primitivae aetati, azoicae, ob vitae defectum, vocatae, successit, flora exuberans, una cum inferioribus vitae formis, invenitur; in periodo mezozoica, seu secundaria, ingentia reptilia; in caenozoica, ingentia mammifera [2]. Porro, in dubium revocari nequit, huiusmodi organismos olim revera vixisse, cum passim inveniantur tabidis dentibus instructi et cum prope ipsos, imo in proprio eorum stomacho vestigia prostent ciborum petrificatorum.

Gratis quoque confingunt nonnulli, mundum prius iam quadamtenus speciebus plantarum et animalium locupletem, at per fatalem catastrophen fractum, primo illapsum mansisse [3]; postea vero, a suis ruinis, sex dierum spatio, fuisse a Deo restitutum. Nam, imprimis, nulla prostant talis conturbationis evidentia signa; deinde, adeo certa lege distributa manent, in terrae stratis, petrificati organismi, ut nulla debeatur tali sententiae probabilitas.

9. — Ordo quaestionis. — Quae cum ita sint, ad proprium opus distinctionis, quod operi creationis successit, dilucidandum, accedimus, quod respicit successivam forma-

[1] Prov., VIII. 31. — [2] Notandum tamen, distributionem stratificam crostae terrestris nondum fuisse perfecte determinatam. Cf. L'OPERA DEI SEI GIORNI, Vol. I. p. 294. — [3] En quomodo Ovidius tale somnium olim describebat (Metam., l. XV, v. 163):

Vidi factas ex aequore terras,
Et procul e pelago conchae iacuere marinae,
Et vetus inventa est in montibus anchora summis.

tionem discretivam triplicis corporis superius recensiti: scilicet, caeli, die prima; aquarum, die secunda; terrae, die tertia: ubi doctrinam exponemus a sanctis Basilio, Chrysostomo et Ambrosio, eorumque sequacibus traditam, relinquentes subsecuturae discussioni considerationem de celebri S. Augustini sententia.

Quapropter, tria hic quaeruntur.

Primo. De opere primae diei.

Secundo. De opere secundae diei.

Tertio. De opere tertiae diei.

ARTICULUS I. — *De opere primae diei.*

I. — **Creatio lucis.** — Prima die invenitur facta lux, a Deo vocata dies, et a tenebris, quas ipsemet Deus noctem appellavit, divisa: quod sic in Genesi describitur [1]: *Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem, quod esset bona: et divisit lucem a tenebris. Appellavitque lucem diem, et tenebras noctem. Factumque est vespere et mane dies unus.*

Opus autem huiusmodi pulcre in hymno Ecclesiae celebratur [2]:

Lucis creator optime,
Lucem dierum proferens
Primordiis lucis novae
Mundi parans originem:
Qui mane iunctum vesperi
Diem vocari praecipis,
Illabitur tetrum chaos,
Audi preces cum fletibus [3].

Lucem igitur aliis operibus tanquam exploratorem praemisit Creator, ut subsequentium dierum opera collustraret:

[1] I, 3-5. — [2] Hymn. ad Vesp. Dominicae. In officio Ecclesiae, singulis hebdomadae diebus, ad Vesperas, commemoratur in hymno unum ex operibus creationis, iuxta ordinem narrationis mosaicae. — [3] Videntur hymni isti, olim S. Ambrosio attributi, potius a S. Gregorio Magno compositi. Extant, forma aliquantisper differente a lectione Breviarii Romani in opp. S. Ambrosii, t. VI, p. 863, seq. Mediol., 1883.

nequit enim pulcritudo utcumque sine debita lucis proportione subsistere. — De hac autem primo dubitatur, an et qua ratione in spiritualibus et corporalibus dicatur; deinde, utrum sit corpus, an qualitas aliqua.

2. — PROP. I. — **Si accipiatur nomen, LUX, secundum suam primam impositionem, sic metaphorice in spiritualibus dicitur; si vero accipiatur secundum quod est in usu loquentium, ad omnem manifestationem extensum, sic proprie in spiritualibus dicitur.**

3. — **Exponitur.** — In nominibus, distinguendum est id a quo nomen primo est impositum, ab usu illius seu ab eo ad quod significandum nomen illud est impositum Sic nomen hoc, *visio*, primo impositum est ab eo quod est actus sensus visus; deinde, propter dignitatem et certitudinem huius sensus, extensum est hoc nomen, secundum usum loquentium, ad omnem cognitionem aliorum sensuum, unde dicimus: Vide, quomodo sapit, vel quomodo redolet, vel quomodo est sonorum aut calidum; quinimmo, nomen istud ulterius extensum est ad significandam cognitionem intellectus, secundum illud [1]: *Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Igitur idem dicendum est de nomine lucis. Nimirum, primo institutum est ad significandum omne illud quod facit manifestationem in sensu visus, secundum illud [2]: *Omne quod manifestatur, lumen est;* postmodum autem extensum est ad significandum, et quidem proprie, omne illud quod facit manifestationem secundum quamcumque cognitionem [3].

4. — **Scholion.** — Quocirca, utrumque dici potest: nempe quod metaphorice, et proprie lux de Deo dicatur: metaphorice, attenta prima impositione nominis; proprie, attento usu nominis penes loquentes; sic S. Ambrosius ponit splendorem inter ea quae de Deo metaphorice dicuntur [4]; S. Au-

[1] Matth., V, 8. — [2] Eph., V, 13. In graeco legitur: πᾶν γὰρ τὸ φανερούμενον φῶς ἐστίν, ubi deponens, φανερούμενον, activum sensum habet, unde verti potest, ut habet Beza: *Quidquid enim res conspicuas facit, lux est.* — [3] Art. 1. — [4] In princ. Prol. l. II de Fide ad Gratian.

gustinus vero vult quod Christus dicatur, lapis quidem figurative, lux vero proprie [1].

5. — **Quid sit lux.** — Porro, naturalium philosophorum plurimi, tum antiquis, tum hodiernis, edicendum visum est lucem esse corpus quoddam subtilissimum, actu lucidum, quod se undequaque diffundens medium diaphanum illuminat. Sic olim S. Augustinus lucem accepit pro igne [2]; recentioribus vero magis placet ut dicatur constare subtilissimis moleculis, quas ion vocant. — Contra quod dicendum est

6. — PROP. II. — α) **Lux non est corpus,** β) **sed qualitas quaedam.**

7. — **Prop. I^a Pars.** — I. Duo corpora nequeunt simul esse in eodem loco. Atqui lux est simul cum aere aut alio diaphano corpore. Ergo lux non est corpus. — Revera, locus cuiuslibet corporis est alius a loco alterius corporis; nec possibile est, secundum naturam, duo corpora, qualiacumque sint, esse simul in eodem loco, quia contiguum requirit distinctionem in situ.

II. Si lumen esset corpus, obtenebrescente aere, oporteret ut corrumperetur et aliam formam reciperet: quod non apparet, nisi quis dicat tenebras quoque esse corpus. — Insuper, non apparet ex qua materia tantum corpus, quod replet medium hemisphaerium, quotidie generetur.

Si dicatur quod non corrumpitur, sed simul cum sole accedit et circumfertur, quid dici poterit de hoc quod ad interpositionem alicuius corporis circa candelam, tota domus obscuratur? Nec videtur, quod lumen congregetur circa candelam, quia non apparet ibi maior claritas post, quam ante. Quia ergo, concludit Angelicus [3], omnia haec non solum rationi, sed sensui etiam repugnant, dicendum est impossibile esse quod lux sit corpus [4].

[1] L. IV, Sup. Gen. ad litt., c. 28. — [2] L. III de lib. arb., c. 5. — [3] Art. 4. — [4] Aliam rationem quam hic inducit S. Thomas ad probandum quod lux non est corpus, depromptam scilicet ex instantanea illuminatione, consulto praetermittimus, cum constet lucem non citra temporis mensuram propagari.

Sciendum autem, id quod de luce dicimus, quod non est corpus, de aliis agentibus physicis, ut est calor, sonus, sapor, etc., aeque decernendum est.

8. — **Solvitur tacita difficultas**. — *Obiicienti*. plura dici de luce, quae nonnisi corporibus conveniunt, ut ferri, intersecari, reflecti, separari et coniungi, — *respondetur*. haec attribui lumini metaphorice, sicut etiam possent attribui calori. Quia enim motus localis est naturaliter primus motuum, ideo utimur nominibus pertinentibus ad motum localem, in alteratione et in omnibus motibus: sicut etiam nomen distantiae derivatum est a loco ad omnia contraria [1].

9. — **Prob. 2ª Pars.** — Lux, ait Angelicus [2], est qualitas activa, consequens formam substantialem solis, vel cuiuscumque alterius corporis a se lucentis, si aliquod aliud tale est. Cuius signum est quod radii diversarum stellarum habent diversos effectus, secundum diversas naturas corporum. — At recolendum est, lucem non esse id quod videtur, sed quo coloratum videtur, seu facere colores visibiles actu, unde dicitur aer luminosus, non autem coloratus.

10. — **Corollarium**. — Ex hisce constat, admitti non posse newtonianam theoriam, iuxta quam lux esset emissio quaquaversus corpusculorum luciferorum a fontibus luminosis emanantium, unde haec theoria dicta est emissionum. Talis sententia fundatur in systemate sic dicto atomico mechanico, quo motui mechanico seu locali atomorum materiae brutae omnes mutationes adscribuntur, quasi in corporibus non adesset virtus aliqua intrinseca ad producendos determinatos effectus, sed corpora essent orbata omni virtute activa.

Utique, sustineri potest, ad transmissionem lucis intelligendam, produci undas ex luminoso fonte sferice irradiatas, prout iamdudum proposita est a celebri naturalista batavo Huyghens (1629-1695); at lux non est ipse motus vibratorius originem habens in fonte, transmissus et finaliter receptus in oculo, qui sensus, ob suam maiorem sensibilita-

[1] Ibid., ad 3ᵐ. — [2] Loco cit.

tem, potius quam tactus, rapidissimas has vibrationes persentiat, cum impressiones quas percipit sensus visus, sint impressiones non motus localis, sed obiectorum quae hoc modo sint visibilia effecta : unde motus vibratorius non est nisi conditio necessaria ad hoc ut verificentur effectus proprii lucis.

11. — **Analogia inter propagationem lucis et soni iuxta S. Thomam.** — Iuvat hic verba referre, quibus Angelicus analogiam inter propagationem lucis et soni describit. *Generatio soni in aëre*, ait ille [1], *consequitur motum aëris, ut dictum est. Sic autem contingit de immutatione aëris apud generationem soni, sicut de immutatione aquae, cum aliquid in aquam proiicitur. Manifestum est enim quod fiunt quaedam regyrationes in circuitu aquae percussae. Quae quidem circa locum percussionis sunt parvae, et motus est fortis. In remotis autem gyrationes sunt magnae et motus debilior. Tandem autem motus totaliter evanescit, et gyrationes cessant. Si autem antequam motus cesset, gyrationes illae aliquod obstaculum inveniant, fit motus gyrationis in contrarium ; et tanto vehementius quanto propinquius sunt primae percussioni. Sic igitur intelligendum est, quod ad percussionem corporum sonantium, aër in gyrum movetur, et sonus undique diffunditur. Et in vicino quidem gyrationes sunt minores, sed motus fortior ; unde sonus fortius percipitur. In remotis autem gyrationes sunt maiores, et motus debilior, et sonus obscurior auditur. Tandem autem deficit totum. Si autem antequam huiusmodi gyrationes deficiant, fiat reverberatio aëris sic moti, et sonum deferentis ad aliquod corpus, gyrationes revertentur in contrarium et sic auditur sonus quasi ex adverso. Et haec vocatur Echo. Quod praecipue fit, quando illud obstans, ad quod repercutitur aër motus, est aliquod corpus concavum, quasi quoddam vas determinans, et concludens aërem in sua unitate, et ideo prohibens ipsum dividi. Tunc enim ille aër sic unitus et commotus, quia non potest ulterius motum protendere, propter corpus obstans, percutit iterum aërem, a quo percutiebatur, et fit motus in contrarium : sicut accidit cum aliquis proiicit pilam, quae hic sphaera dicitur, et inveniens obstaculum resilit.*

[1] Lib. II, de Anima, lect. XVI.

12. — Quid de aethere imponderabili tenendum sit. — Hic autem notatum volumus, non ita probari quod a recentibus physicarum rerum cultoribus adstruitur, undas scilicet luciferas aut sonoras propagari mediante fluido subtilissimo et imponderabili, cui nomen aether, ita per totum universum diffuso, ut vel corporum spatia, ut aiunt, intermolecularia, seu interatomica, impleant. Omisso enim quod talis fluidi nulla evidentia aut detur, aut dari valeat, negamus illud necessarium esse ad propagationem undarum luciferarum aut sonorarum explicandam, cum id mediante materia ponderabili utique possit perfici ; at maxime advertendum est, hypothesi universalis cuiusdam fluidi imponderabilis, corporum continuitatem tolli et sic hylemorphismo contradicere, qui unam tantum admittit in corporibus formam substantialem, nec sinit ut corpus naturale sit tantummodo aggregatum plurium substantiarum individuarum.

13. — Lucis origo secundum recentes theorias. — Iuverit quoque hic advertere, ab hodiernis scientiae naturalis cultoribus ultro admitti, id quod Scriptura docetur, lucem utique existere potuisse ante distinctionem et formationem singulorum corporum, eamque posse ad periodum astronomicam seu cosmogonicam revocari, quae terrae organizationem praecessit. Nam, quemadmodum videmus corpora, natura sua obscura, si eorum temperies elevetur, lucida posse fieri, aut corpora caelestia, quae adhuc in statu formationis inveniuntur, dum subsunt interno ac rapido motui, lucem plus minusve vividam ultro emittere ; sic inferre possumus, materiam cosmicam, seu elementa mundi primordialis, ex quo, velut primitiva nebulosa, motui concentrationis et rotationis subdita sunt, albescentem lucem emittere, ei similem quae in aurora boreali emitti cernitur. Et sic mundus desiit esse tenebrarum abyssus, sed coepit lucis et tenebrarum alternationi subiacere.

14. — Immediata Dei operatio in productione lucis. — Cavendum quoque sedulo est ne, dum lucis origo ex hoc motu concentrationis et rotationis materiae cosmicae velit deprehendi, directus Dei interventus excludatur, cum in Scriptura expresse notetur, per haec verba : *Dixit Deus.* Enim-

vero cum elementa materiae primum sint creata in statu tenebroso et inerti, hinc nonnisi actione vel imperio divino, ab hoc statu erui potuerunt, quatenus lucidam potentiam, qua antea carebant, necnon actualem motum acquirerent. Quod quidem de opere uniuscuiusque diei ultro debet praedicari; unde concludendum erit, in prima rerum institutione, principium activum fuisse verbum Dei [1]: ideoque, qualiscumque mundana mutatio in diebus-epochis postea evenisse deprehendatur, omnis debebit speciali Dei interventui seu iussui attribui.

15. — Convenientia productionis lucis in prima die. — Quam convenienter vero opus suum Deus a creatione lucis auspicatus fuerit, ex hoc patet quod in luce, tanquam in re communissima, omnia communicant; unde, sicut in cognitione proceditur a communioribus, ita etiam in operatione: nam, prius generatur vivum quam animal, et animal quam homo; unde sic oportuit ordinem divinae sapientiae manifestari, ut inter opera distinctionis, prima, tanquam communior rerum proprietas, produceretur lux [2]. — Advertendum tamen, dici non posse [3], oportuisse lucem fieri primo die, quia dies nequit esse sine luce: etsi enim valere posset haec ratio pro die naturali, minime tamen sustinetur, ubi de diebus-epochis agitur.

16. — Quaenam fuit lux prima die creata. — De ista luce edisserit Angelicus [4], illam fuisse lucem solis, sed adhuc informem, quantum ad hoc quod iam erat substantia solis, et habebat virtutem illuminativam in communi; postmodum autem datam fuisse ei specialem et determinatam virtutem ad particulares effectus. — At melius dicitur formatam fuisse lucem per hoc quod elementis materiae data sit divinitus aptitudo lucendi, et actu ex impressione locali ista elementa quodammodo splenduerint, ut dictum est.

17. - Quaestio. — *Cur Moyses, in sua narratione, mentionem non fecerit aliarum proprietatum corporum, ut electricitatis, caloris, etc.?*

[1] Cf. 1, Quaest. LXXI, ad 1[m]. — [2] Art. 4. — [3] Ut hic habet Angelicus. — [4] Ad 2[m].

Resp. — Ex hisce qualitatibus, quaedam quidem sunt generales, ut extensio, divisibilitas, porositas, elasticitas, cohaesio, etc., pro quibus distinctus actus, ex parte Dei, necessarius non erat, cum aliud ea non sint, nisi consequentia naturalis primae illius proprietatis corporum, quae est quantitas; aliae vero qualitates speciales sunt, respondentes uni alterive sensuum animalis, ut color, sonus, gustus, etc.: ad quas significandas satis erat nominare lucem, in qua, velut prima et principalissima qualitate, istae speciales qualitates virtualiter contentae dici possunt. Et quidem sustineri potest, strictam adesse causalitatis relationem inter lucis explicationem, ac productionem phaenomenorum acusticae, caloris, magnetismi et electricitatis.

18. — Non fuit, in initio, unica substantia. — Hic autem caute debet quis excludere aliquorum opinamentum, ponentium, in initio, unicam substantiam, dotatam tantummodo motu locali, quae se per se evolvere potuisset in varia chimica composita universi: etenim, si huic quidem ex motu locali originem sumere possunt variae qualitates accidentales, ut, verbi gratia, lux, calor, electricitas, sonus, ex quarum actione coniuncta, varia possunt mundi elementa determinari, ex altera tamen parte, cum uno solo elemento, quodcumque tandem illud sit, nunquam poterit, quantumvis multiplicentur qualitates accidentales, aliud elementum obtineri. — Huius rei demum ratio est, quia omne agens agit sibi simile; aliunde, nova substantia nequit produci per solas qualitates accidentales, quales sunt calor, electricitas, etc., cum illa sit in genere substantiae, hae vero in genere accidentium: accidentia autem non operentur nisi in virtute substantiae. Hinc nunquam poterit, ex unica illa substantia, in citata hypothesi, nova diversa substantia produci.

19. — In initio fuit saltem duplex primordialis substantia. — Quocirca dicendum, ad hoc ut primordialis illa materia potuerit, temporis decursu, in omnes stratologicas formationes, quae sunt in terra, transmutari, necessarium fuisse ut in ea aliqualis distinctio iam praeexisteret, id est, ut iam duae saltem substantiae elementares darentur.

Porro, nihil prohibet quin existentia huius duplicis substantiae deprehendatur in elementis caeli et terrae, in Genesi recensitis, ita ut sub nomine caeli, oxygenium, et sub nomine terrae, hydrogenium significentur, quatenus ex chimica duorum istorum elementorum commixtione, aqua resultaverit, secundum quod legitur [1]: *Et Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Quocirca non fuit, ex parte Dei, necessarius novus interventus ad productionem aquae; sed sufficientia erant oxygenium et hydrogenium, quae, in motu locali constituta, originem dederint luci, calori, et electricitati, per quas physicas qualitates, substantiae ille materiales operatae sint ad novum corpus, scilicet, aquam, constituendum. Ex aquae vero actione, sub influxu praecedentium corporum, novae substantiae sic efformatae sunt, usquedum tota varietas rerum mundanarum exurgeret. In quo mirabili processu, sub actione Spiritus vivificatoris completo, formationes geologicae prodierunt, quales necessariae erant ad praeparandam homini, qui est rex creationis, dignam habitationem. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quae faciunt verbum eius* [2].

20. — Applicatio huius doctrinae ad vitam spiritualem. — Denique, si quis rem attente consideret, facile deprehendet, in creatione lucis prima die, primam illam animae illuminationem apte designari, quae per theologicam fidei virtutem completur: de qua re perbelle loquitur Apostolus [3]: *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiae claritatis Dei in facie Christi Iesu;* quocirca concludit [4]: *Eratis enim aliquando tenebrae; nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulate.* — Ad hoc autem duo requiruntur: primum, ut cor suum homo non induret, sed influxui supernaturalis luminis aperiat; secundum, ut sollerter se in virtutibus, maxime vero in vitae contemplativae operibus exerceat.

[1] Gen., I, 2. — [2] Ps. CXLVIII, 8. — [3] 2 Cor., IV, 6. — [4] Eph., V, 8.

Articulus II. — *De opere secundae diei.*

1. — Opus secundae diei. — Formatio corporis medii, id est aquae, et omnis rei quae hoc nomine comprehendi potest, fuit opus secundae diei, quod ita in Genesi describitur [1]: *Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum: et dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas quae erant sub firmamento ab his quae erant super firmamentum. Et factum est ita. Vocavitque Deus firmamentum caelum. Et factum est vespere et mane dies secundus.* — En quomodo describitur opus secundae diei in hymno Ecclesiae [2]:

Immense caeli conditor,
Qui mixta ne confunderent
Acquae fluenta dividens,
Caelum dedisti limitem.
Firmans locum caelestibus.
Simulque terrae rivulis:
Ut unda flammas temperet,
Terrae solum ne dissipet.

2. — Apostrophe ad aquam. — Operae pretium censemus pulcherrimam hic ponere ad aquam apostrophen, quam in Pontificali Romano legimus [3]: *Sanctificare per verbum Dei, unda caelestis: sanctificare aqua calcata Christi vestigiis; quae montibus pressa non clauderis; quae scopulis illisa non frangeris; quae terris diffusa non deficis. Tu sustines aridam, tu portas montium pondera, nec demergeris; tu caelorum vertice contineris; tu circumfusa per totum, lavas omnia, nec lavaris. Tu fugientibus populis Hebraeorum in molem durata constricta es: tu rursum salsis resoluta vorticibus Nili accolas perdis, et hostilem globum freto saeviente persequeris: una, eademque es salus fidelibus, et ultio criminosis. Te per Moysen percussa rupes evomuit, neque abdita cautibus latere potuisti, cum maiestatis imperio iussa prodires: tu gestata nubibus*

[1] 1, 6-7. — [2] Feria II ad Vesp. — [3] De Ecclesiae dedicatione, seu consecratione.

imbre iucundo arva fecundas. Per te, aridis aestu corporibus, dulcis ad gratiam, salutaris ad vitam potus infunditur: tu intimis scaturiens venis, aut spiritum inclusa vitalem, aut succum fertilem praestas, ne siccatis exinanita visceribus solemnes neget terra proventus: per te initium, per te finis exultat; vel potius ex Deo est, tuum ut terminum nesciamus; aut tuorum, omnipotens Deus, cuius virtutum non nescii, dum aquarum merita promimus, operum insignia praedicamus.

3. — Quid sit firmamentum. — Est igitur firmamentum, στερέωμα, fixus et firmus limes, qui virtutem habet dividendi aquas inferiores a superioribus; licet per firmamentum, secundum interpretationem plurium Patrum, intelligi possit immensum illud spatium quod, exclusa terra nostra, ab una extremitate universi ad alteram porrigitur [1]. In textu hebraico, firmamentum vocatur רָקִיעַ (a רָקַע in hiph. *expandit*), quod significat expansionem firmam ac stabilem: ex quo probabiliter processit opinio, antiquitus valde communis, testudinem caelestem esse immensam sphaeram solidam transparentem. Sciendum autem S. Thomam, etsi non reiiciat soliditatem testudinis caelestis [2], aliam nihilominus rationem, sat plausibilem suggessisse, ad explicandum usum nominis *firmamentum* hoc loco, pro indicanda re solida, dum ait, per firmamentum, posse intendi *illam partem aeris, in qua condensantur nubes: et dici firmamentum, propter spissitudinem aeris in parte illa. Nam, quod est spissum et solidum dicitur esse corpus firmum, ad differentiam corporis mathematici* [3].

4. — Notandum. — Advertendum tamen hic est, si quidem firmamentum accipi velit pro spatio illo materiali, quod protenditur a fine ad finem mundi, per illud non debere intelligi tantummodo materiale spatium, cum huius formatio fuerit naturalis sequela creationis primordialis; sed intelligi debere virtutem a Deo materiae in hac vasta extensione

[1] 1, Quaest. LXVIII, art. 1; et Quaest. LXX, art. 1, ad 3[m]. — [2] Vide 1, Quaest. LXVI, art. 3, ad 4[m]. Cf. ANT. STOPPANI, Sulla Cosmogonia Mosaica, pp. 267, seq. Milano, 1392. — [3] 1, Quaest. LXVIII, art. 1.

diffusam relate ad productionem pluviae, roris, nivis, grandinis, iridis, venti, tonitru, fulguris, saevi turbinis, uno verbo, omnium illorum phaenomenorum meteorologicorum, de quibus physici ex professo pertractant.

Cur autem haec et similia particulatim non recenseantur in Genesi, S. Thomas rationem assignat [1]: *Moyses, propter invisibilitatem aeris et similium corporum, omnia huiusmodi corpora sub aquae nomine comprehendit.*

Igitur, virtute imperii naturalem motum corporibus praebentis [2], nubes videmus condensari, aperiri caeli cataractas, turbines praecipites ac velut furentes irruere; et atmosphaerae, nonobstantibus impetuosis vorticibus, innatam virtutem conservari colligendi a mari et fluminibus vaporem aqueum et novas nubes novasque pluvias formandi, distinctis sic manentibus aquis superioribus ab inferioribus, ad temperandum solis ardorem ac terrestrem crustam iugiter foecundandam.

Notanda sunt, hac in re, verba S. Thomae, quibus non secus ac recentes physici, imbrium originem ex aquosis vaporibus, in aere suspensis, repetit [3]: *Si autem per firmamentum intelligatur pars aëris in qua nubes condensantur, sic aquae quae sunt supra firmamentum, sunt aquae quae vaporabiliter resolutae supra aliquam partem aëris elevantur, ex quibus pluviae generantur.*

5. — Divinae providentiae actio in marium gubernatione. — Ad hunc locum pertinent pulcherrima quae leguntur in libro Proverbiorum [4]: *Quando praeparabat caelos, aderam: quando certa lege et gyro vallabat abyssos; quando aethera formabat sursum, et librabat fontes aquarum; quando circumdabat mari terminum suum et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos*, etc. — Ubi satis admirari non valemus divinam sapientiam, quae non solum mari iussit ut ultra certa confinia procedere non audeat [5]: *Usque huc venies et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos*, sed etiam imperio suo illius aquis indidit tum salsitudinem,

[1] Ibid., art. 3, ad 3m. — [2] 1, Quaest. LXIX, art. 1, ad 4m. — [3] Hic, art. 2. — [4] VIII, 27-29. — [5] Iob., XXXVIII, 11.

aptam ad corruptionem, quae mortem ac excidium ubique intulisset, arcendam, tum aestuum accessus et recessus, ex quibus immensum illud aquae volumen in perpetuo motu sistitur.

6. — Quaestio. — *Cur de opere huius diei non dicitur id quod de ceteris operibus dictum est, scilicet, vidisse Deum quod esset bonum ?*

Resp. Dicunt aliqui, id fuisse propterea quod firmamentum adhuc informe erat, nonnisi quarto die sole et luna perficiendum : at si valeret haec ratio, idipsum et de luce foret asserendum, quae quarto pariter die fuit ad perfectionem in sole perducta. Quocirca, melius dicitur, id in hebraico quidem et Vulgata desiderari, at apud Septuaginta haberi, ubi legitur [1] : Καὶ ἐκάλεσεν ὁ Θεὸς τὸ στερέωμα, οὐρανόν. καὶ εἶδεν ὁ Θεὸς, ὅτι κάλον.

7. — Periodus azoica. — Porro, non incongrue a geologis, periodus, quam nunc consideramus, primitiva, seu azoica, vocata est, ob totalem vitae absentiam, a qua periodo originem ducit epocha illa, in qua organizatio terrae incepit, quae proinde cosmogeogenica dicitur. Scilicet, a statu gasseo ad statum liquidum pedetentim transivit globus noster ; et ab ista massa aquosa materiae volatiles, vaporibus saturae, sese explicarunt, quae, contactu regionum frigidarum, condensatae sunt ad formandas nubes, simulque formata est rudimentalis atmosphaera, quae, processu temporis, sub actione agentium physicorum, perfici debebat, usquedum ad aequam illam elementorum proportionem pertingeret, quam hodie praesefert.

8. — Immediata Dei actio in opere secundae diei. — Sciendum vero, huiusce formationis ac divisionis principium effectivum fuisse immediatam Dei actionem, per eius omnipotens imperium expressam, cum fieri non possit ut una eademque massa, ex seipsa informis et iners, originem praebeat rebus tam distinctis, quales sub nomine firmamenti, necnon aquarum superiorum et inferiorum, recensentur ; hinc

[1] Vers. 8.

explicationi cosmicae, cui primitus originem dedit motus physicus elementorum, addi debet interventus immediatus et directivus Dei, prout docet Scriptura et explicat S. Thomas, dum, diligentia et reverentia pari, diversas recenset sententias, quae suo iam tempore circa opus secundae diei circumferebantur [1].

9. — Distinctio caelorum et systema planetarium secundum antiquos. — Non inutile autem hic erit doctrinam antiquorum naturalium philosophorum de caelorum distinctione necnon de systemate planetario breviter expendere: cuius rei cognitio non modicum inserviet scriptis Doctorum medii aevi et maxime poetarum principis, Dantis Alighierii, intelligendis.

10. — Primum mobile. — Primo loco, sub caelo empyreo, sede Dei, angelorum et beatorum, de quo supra disseruimus [2], antiqui ponebant primum caelum, quod primum mobile vocabant [3], eo quod velocissime movetur ob ferventissimum desiderium se empyreo coniungendi, ut ait Dantes [4]; et praecise mensura motus huius caeli, iuxta eos, tempus constituebat. Porro, empyreum in hoc primum caelum influit, non motum ipsum, cum nullum corpus moveat nisi moveatur, sed virtutem continendi et causandi, vel aliquid huiusmodi ad dignitatem pertinens [5]. — Caelum hoc sic eleganter a Dante describitur [6]:

La natura del moto che quieta
Il mezzo, e tutto l'altro intorno muove,
Quinci comincia come da sua meta.

E questo cielo non ha altro dove
Che la mente divina, in che s'accende
L'amor che 'l volge, e la virtù ch'ei piove.

Luce ed amor d'un cerchio lui comprende,
Sì come questo gli altri; e quel precinto
Colui che 'l cinge solamente intende.

[1] Hoc loco. — [2] Quaest. praeced; art. 3. — [3] Cf. I, Dist. XIV. — [4] Convito, II, 4. — [5] 1, Quaest. LXVI, art. 3, ad 2[m]. — [6] Cant. XXVII, v. 106, seq.

Non è suo moto per altro distinto;
Ma gli altri son misuratì da questo,
Sì come diece da mezzo e da quinto.
E come il tempo tenga il cotal testo
Le sue radici, e negli altri le fronde,
Omai a te puot'essere manifesto.

11. — Caelum crystallinum. — Secundum caelum, iuxta antiquos scholasticos, erat caelum sic dictum aquosum et etiam crystallinun, cum totum diaphanum fingeretur, et eius aquae glaciales ponerentur [1].

12. — Caelum sphaerarum. — Demum tertium caelum, dictum caelum sphaerarum, comprehendebat octo sphaeras. De prima sphaera sic loquitur Dantes [2]:

La sfera ottava vi dimostra molti
Lumi, li quali, nel quale e nel quanto
Notar si posson di diversi volti.

Haec erat sphaera stellarum fixarum, quae etiam dicebatur caelum sidereum et etiam firmamentum, de quo sic iterum commentatur Aligherius [3];

E poi, quando mi fu grazia largita
D'entrar nell'alta ruota che vi gira,
La vostra regïon mi fu sortita.

13. — Caeli planetarum. — Sub ista prima sphaera volvebantur septem caeli planetarum cum respectivis sphaeris, id est, Saturni, Iovis, Martis, Solis, Veneris, Mercurii, et Lunae. Secundum Aristotelem, stellae istae erant fixae in respectivis orbibus, quorum motus determinabatur a motu stellarum [4]. Tandem, omnium orbium centrum erat terra, seu, ut ait S. Thomas [5], *terra se habet ad caelum, ut centrum ad circumferentiam.*

[1] Hoc loco, art. 2, ad 3[m]. — [2] Parad., Canto II, v. 64, seq. — [3] Ibid., Cant. XXII, v. 118, seq. — [4] I, Quaest. LXX, art. 1, ad 3[m]. — [5] Hic, art. 4, ad 1[m].

14. — **Dantis descriptio septem sphaerarum.** — En, quomodo describit Dantes has septem sphaeras, dum a Beatrice invitatur a signo Geminorum deorsum respicere [1]:

Col viso ritornai per tutte quante
Le sette spere, e vidi questo globo
Tal, ch'io sorrisi del suo vil sembiante.

E quel consiglio per miglior approbo
Che l'ha per meno; e chi ad altro pensa
Chiamar si puote veramente probo.

Vidi la figlia di Latona [2] *incensa*
Senza quell'ombra che mi fu cagione
Per chè già la credetti rara e densa [3].

L'aspetto del tuo nato, Iperïone [4],
Quivi sostenni, e vidi com' si muove
Circa e vicino a lui Maia [5] *e Dïone* [6].

Quindi m'apparve il temperar di Giove
Tra 'l padre [7] *e 'l figlio* [8], *e quindi mi fu chiaro*
Il variar che fanno di lor dove;

E tutti e sette mi si dimostrâro
Quanto son grandi, e quanto son veloci,
E come sono in distante riparo.

L'aiuola che ci fa tanto feroci,
Volgendom'io con gli eterni Gemelli,
Tutta m'apparve da' colli alle foci.

15. — **Opinionum differentia inter S. Ioannem Chrysostomum et S. Basilium.** — Porro notari hic potest, pro intelligentia scriptorum sanctorum Patrum, S. Ioannem Chrysostomum nonnisi unum caelum admisisse, S. Basilium vero, quem sequitur S. Ioannes Damascenus, plures caelos: quae tamen differentia, observat Angelicus [9], solius nominis est,

[1] Par., Cant. XXII, v. 133, seq. — [2] Luna. — [3] Allusio ad dubia mota a Dante circa maculas lunares, in Cantu secundo Paradisi, v. 49, seq. — [4] Sol. — [5] Mater Mercurii significat hic ipsum Mercurium. — [6] Mater Veneris, pro ipsa Venere. — [7] Gelidus Saturnus, pater Iovis, secundum mythologiam. — [8] Mars accensus filius Iovis. — [9] Ibid., ad 4m.

non rei : cum Chrysostomus caelum nominet omne id quod invenitur supra terram et aquam ; unde etiam aves quae volant per aerem, dicuntur aves caeli ; quod autem pluraliter dicitur, *caeli caelorum*, hoc est propter proprietatem linguae hebraicae, in qua consuetum est ut caelum solum pluraliter significetur, sicut sunt etiam multa nomina in latino quae singulari carent, ut tenebrae, opes, etc. ; S. Basilius autem attendens ad distinctiones quae in hoc immenso corpore inveniuntur, plures caelos admisit, quasi tot circumferentias terrae nostrae concentricas.

16. — **Caelum tripliciter dictum in Scripturis.** — Ulterius observandum est, non uno sensu Patres semper accepisse nomen caelum : siquidem, potest nomen istud tripliciter sumi : primo, proprie et naturaliter ; secundo, per participationem ; tertio, metaphorice.

Proprie et naturaliter, dicitur caelum corpus aliquod sublime et luminosum actu vel potentia, et incorruptibile per naturam : quomodo antiqui ponebant caelum empyreum, caelum aqueum vel crystallinum et caelum sidereum, ut vidimus. — Per participationem, id est, ob sublimitatem et luminositatem, actu vel potentia, caelum vocatum est spatium illud quod super terram quaquaversus indefinite expanditur. — Metaphorice demum, caelum dicitur sancta Trinitas, scilicet, ob eius spiritualem sublimitatem et lucem : de quo caelo exponitur diabolum dixisse [1] : *In caelum conscendam*, id est ad aequalitatem Dei. Quandoque etiam spiritualia bona, in quibus est sanctorum remuneratio, caeli nominantur, videlicet metaphorice, id est propter eorum eminentiam, uti dicitur [2] : *Merces vestra multa est in caelo.* Quandoque etiam caeli appellantur tria genera supernaturalium visionum, scilicet, corporalis, imaginariae et intellectualis, secundum quod dicitur [3] Paulus raptus usque *ab tertium caelum* [4]. Denique, caeli dicuntur etiam sancti Apostoli [5].

17. — **Ex demonstrato falso systemate Ptolomaei, nullo modo dogmati fidei derogatur.** — Notandum denique est, ex

[1] Is., XIV, 13. — [2] Luc., VI, 23. — [3] 2 Cor., XII, 2. — [4] Hic, art. 4. — [5] S. Greg. Magnus, Homil. XXX in Evang.

hoc quod Ptolomaei astronomicum systema, cui innitebantur Patrum et scholasticorum Doctorum explicationes, deprehensum est, primum opera cardinalis Nicolai Cusani († 1464) et canonici Nicolai Copernici († 1542), dein celebris astronomici Galilaei († 1642), falsitate laborare, nihil aut auctoritati Scripturae aut fidei catholicae detrahi, cum explorata scientiarum adinventa nullatenus Textui sacro et authenticae ab Ecclesia subministratae explicationi detrahant.

18. — Applicatio operis huius diei ad vitam spiritualem. — Denique, utiliter advertetur, in constitutione firmamenti et divisione aquarum ab aquis, considerari posse primum illum vitae spiritualis gradum, cum homo, fide iam divina collustratus, inordinatis passionum motibus generosus valedicit, ut Spiritus Sancti ductui se totum committat, iuxta illud [1]: *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Praeterea, attenta vocis *firmamenti* derivatione, homini conandum est ut illam animi constantiam firmitatemque acquirat, qua et aquas superiores, id est prosperitates, et inferiores, id est adversitates, viriliter sustineat, nec se ab illis efferri aut ab istis deiici sinat.

Articulus III. — *De opere tertiae diei.*

1. — Opus tertiae diei. — Ad tertium diem pertinet formatio illius corporis, quod ultimo loco fuerat productum, scilicet terrae, quae res ita in Genesi describitur [2]: *Dixit vero Deus: Congregentur aquae, quae sub caelo sunt, in locum unum: et appareat arida. Et factum est ita. Et vocavit Deus aridam, terram, congregationesque aquarum appellavit maria. Et vidit Deus, quod esset bonum. Et ait: Germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem, et facientem semen iuxta genus suum; lignumque faciens fructum, et habens unumquodque sementem secundum speciem suam. Et*

[1] Ier., XV, 19. — [2] I, 9-13.

vidit Deus, quod esset bonum. Et factum est vespere et mane die tertius. — Opus huius diei ita in hymno Ecclesiae eleganter describitur [1]:

Telluris alme conditor.
Mundi solum qui separans,
Pulsis aquae molestiis,
Terram dedisti immobilem:

Ut germen aptum proferens,
Fulvis decora floribus,
Fecunda fructu sisteret,
Pastumque gratum redderet.

2. — Duplex terrae formatio. — Porro, duplex his verbis describitur terrae formatio, correspondens duplici illius initiali informitati: erat enim primo *inanis*, quod est, adspectu carens, seu invisibilis, ἀοράτος, quia aquis undequaque cooperta; praeterea, erat plantis et herbis *vacua*, seu destituta, vel incomposita, ἀκατασκεύτος: unde, primo quidem, divina iussio aquas in unum locum adunavit; secundo, aridam, seu terram herbis virentibus et plantis fructiferis ditavit, reproductionis facultatem in seipsis possidentibus. — Quocirca, ad opus huius diei pertinet institutio diversarum specierum vegetalium, non autem actualis reproductio, quae ad administrationem rerum spectat; unde, capite secundo [2] dicitur Deus fecisse *omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priusquam germinaret*, id est, per viam naturalis seminationis, sive plantae virtutem hanc habeant in radice, sive in trunco, aut in ipso fructu [3].

3. — Quaestio. — *Cur terrae nomen datum est aridae, cum iam in principio creationis terra nominetur?*

Resp. Dici potest, per terram, de qua primo facta est mentio, intelligi materiam primam; per terram vero, tertia die positam, intelligi ipsum elementum terrae. — Potest etiam dici, quod primo nominabatur terra secundum naturam suam; tertia vero die nominatur, attenta principali

[1] Hymn. ad Vesp., feria III. — [2] Vers. 5. — [3] 1, Quaest. LXIX, art. 2.

eius proprietate quae est siccitas, vel potentia semina fecundandi et germinationem seu vegetationem fovendi: intelligendum est enim, per hoc quod dicitur Deus rem sic *vocasse*, quod actu dederit rebus naturam seu proprietatem ut sic possint vocari [1].

4. — Prima vitae apparitio in terra. — Uti ex textu genesiaco apparet, prima vitae origo in terra immediatae operationi Dei attribuitur; in quo et hodiernae scientiae data apprime conveniunt, cum omnibus naturae viribus impossibile evadat vel minimum vitae gradum ex inorganicis chimicis combinationibus suscitare. Quocirca vana sunt figmenta quae nonnulli de secreta quadam vitali scintilla in igne, aqua, aere, terra, astris, etc., absconsa, quae fortuito eruperit, comminiscuntur: et omnino reiicienda sunt, tanquam experientiae et rationi simul opposita, opinamenta quaevis, de arcano quodam transitu a materia inerte ad primam, vel rudimentalem, vitae vegetativae productionem.

5. – Periodus palaeozoica. – Periodus haec palaeozoica et etiam thermocarbonifera dicta est, in qua in terra iam consolidata et competenti atmosphaera donata, prima vitae vegetativae vestigia exhibentur. Primo igitur, a statu liquido incandescenti, globus terrestris gradatim refrigescendo ad statum solidum transiit: ex quo simul in crusta terrestri montes sublimes atque nimbiferi et valles, aquarum receptacula, formati sunt, ac metallici vapores e visceribus terrae erumpentes atmosphaeram quamdam, vegetationi propitiam, constituerunt. Interim flora primigenia, floram nostram magnitudine superans, dicta carbonifera et lithanthracea, e solo pullulavit, carens tamen, ob solaris lucis deficientiam, et sub climate calido simul et humido, fulgidis illis coloribus et variis fructibus, quibus flora nostra lactificatur [2].

6. — Operis huius diei amplior explicatio. — Ad hanc quoque genesiacam diem pertinet perfectiorum arborum pro-

[1] Art. 1, ad 5[m]. — [2] Pro descriptione herbarúm et arbusculárum huius epochae, vide quae scripsimus in L'OPERA DEI SEI GIORNI, P. I, c. VII, n. 18, p. 307, seq.

ductio, quarum vestigia geologi post solis apparitionem in terrae visceribus deprehendunt: quae quidem tertia die seminaliter iam conditae, postea, conditionibus ambientis aeris melioribus effectis, virtute praeviae divinae iussionis, plenius evolutae sunt.

Ad eamdem quoque diem pertinet productio aliquorum animalculorum inferiorum, tum invertebratorum, tum vertebratorum, scilicet zoophytarum, molluscorum, piscium et batrachiorum, quae potius ad regnum vegetale quam animale pertinere videntur: etenim *natura inferior*, ut observat S. Thomas [1], *in suo supremo attingitur a natura superiori*; et similiter auctor libri *de divinis Nominibus* ait [2]: *Divina sapientia coniungit fines primorum principiis secundorum.* Haec autem non oportuit a Moyse recenseri; nam, ut iterum adnotat Angelicus [3], *Moyses rudi populo loquebatur, quorum imbecillitati condescendens, illa solum eis proposuit, quae manifeste sensui apparent; omnes autem, quantumcumque rudes, terram et aquam esse corpora sensu deprehendunt, aër autem non percipitur ab omnibus esse corpus:... et ideo Moyses de aqua et terra mentionem facit expressam, aërem autem non expresse nominat, ne rudibus quoddam ignotum proponeret.* Idipsum dicatur de animalculis hac die formatis.

7. — Applicatio operis huius diei ad vitam spiritualem. — Potest autem et huius diei opus ad vitam spiritualem perbelle hoc modo applicari, ut, cum iam anima deordinatas ac turbulentas passiones, quales, influxu carnis, mundi et diaboli, in ea turgescunt, quietare noverit, et motibus appetitus sensitivi nonnisi in bonum uti, seipsam, sub influxu divinae gratiae, virtutibus, quasi herbis virentibus, exornandam curet, quae fecunda novae operationis principia existant, iuxta illud [4]: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, et flores mei fructus honoris et honestatis.* Vitis quippe, floritionis tempore, gratissimum exhalat odorem, et fructus eius dulcissimus est homini: actiones vero christiani hominis in seipsis simul adunant pulcritudinem et delicias florum, cum pinguedine et utilitate fructuum.

[1] 1, Quaest. CX, art. 3. — [2] C. 7. — [3] 1, Quaest. LXVIII, art. 3. — [4] Eccli., XXIV, 23.

APPENDIX I.

Utrum prima origo viventium citra immediatam Dei actionem possit explicari.

1. — Recentiorum de vitae origine super terram audax sententia. — Fuit plurium recentiorum scriptorum sententia, primam vitae originem in terra non ex immediata Dei actione, sed ex subtilissimae materiae atomicae motu essa repetendam, sub influxu scilicet secundarum circumstantiarum, ita ut materia cosmica, per successivas modificationes gradatim transierit a statu homogeneitatis ad statum heterogeneitatis, usquedum simplicissimum quoddam vivens, rudimentali organizatione donatum, oriretur, quod demum, per successivam evolutionem, usque ad formam humanae vitae ascenderet. — Ubi opportune notabitur quam diverso modo recentiores ab antiquis processerint: hi quidem edici voluerunt hominem a diis olympi descendisse; illis vero magis arridet humanum genus ab informi quadam primaeva substantia, per simiam transeundo, ad praesentem formam pervenisse: unde hominis immediatus antecessor fuit pithecanthropus [1]. — Cum de homine in apposito tractatu egerimus [2], hinc ad hanc quaestionem considerationem nostram modo perstringemus, utrum scilicet fieri potuerit ut ex solis naturae viribus, vita in mundo primum appareret.

2. — Radix praesentis erroris. — Porro, si quis rem diligenter consideret, deprehendet, praesentem errorem ex duobus provenire : primo ex eo quod, in rebus, nil nisi materia, forma neglecta, consideretur ; et proinde, sicut ope analysis chimicae nova mixtura obtinetur, ita visum est, ex subtilium elementorum sapientiori concursione, primam posse

[1] A πίθηκος, *simia*, et ἄνθρωπος, *homo*. — [2] Tract. DE PRIMA HOMINIS FORMATIONE, 8[us], in ordine.

vitalem cellulam obtineri. Secundo, provenit error iste ex falso vitae conceptu, quasi vita sit res accidentalis, quae scilicet adesse vel abesse possit salva rei substantia; unde et vita posset non viventibus accedere, simulque ab eis aeque discedere.

3. — Vita non est accidens, sed ipsa substantia rei. — At, contra, id quod potissimum considerandum est in rebus est forma, unde res habent esse, ab invicem discernuntur et unaquaeque in propria specie collocatur; species autem rerum sunt sicut numeri qui variari non possunt, nec in plus, nec in minus, salva eorum substantia. Vita autem, licet ex operatione cognoscatur, tamen non est quid viventi superadditum, sed est ipsamet substantia in actu primo: unde dicitur quod vivere viventibus est esse, et secundum varias vitae explicationes, sunt etiam varii viventium gradus. Quocirca, ex triplici ordine operationum, scilicet vegetalium, sensitivarum et intellectualium, tres deprehenduntur esse ordines viventium, scilicet plantarum, animalium et hominis. — At, proprie hic quaeritur, utrum a gradu materiae inorganicae ad vel infimum gradum vitae, transitus potuerit fieri.

4. — Differentiae physicae viventium a non viventibus. — Iuverit autem, ad demonstrandam impossibilitatem transitus cuiusdam rei naturalis a materia inorganica ad statum vitalem, quinque differentiae capita inter viventia et non viventia assignare. — Et quidem, primum caput ex typo morphologico eruitur: nimirum, dum viventibus, a quibus sunt determinatae actiones exercendae, inest cum forma determinata typus morphologicus fixus, res inanimatae, e contra, quamcumque figuram indifferenter assumunt. — Secundo, ob functiones vitales exercendas, viventia habent partes dissimilis structurae; res non viventes, e contra, eisdem elementis et elementorum qualitatibus, in omnibus suis partibus, donantur [1]. — Tertio, propter eamdem rationem, maior numerus elementorum ingreditur in compositionem viventium, quam

[1] Differentias istas longiori sermone prosecuti sumus in libro *L'Opera dei sei giorni*, P. II, C. I, n. 7, p. 12.

non viventium. — Quarto, corpora viventium dotantur virtutibus et operationibus — nutritiva seu assimilativa, augmentativa et generativa, quibus carent non viventia. — Denique, cum agentia corporea agendo patiantur, viventia materialia nonnisi determinato tempore perdurant post quod seguitur necessario mors ; non viventia vero possunt habere durationem, ut ita dicam infinitam. Ubi notatu omnino digna sunt verba S. Thomae [1] : *Virtus conversiva, in principio quidem tam fortis est, ut possit convertere non solum quod sufficit ad restaurationem deperditi, sed etiam ad augmentum : postea vero non potest convertere nisi quantum sufficit ad restaurationem deperditi, et tunc cessat augmentum ; demum, nec hoc potest, et tunc fit diminutio : deinde, deficiente huiusmodi virtute, totaliter animal moritur : sicut virtus vini convertentis aquam admixtam, paulatim per admixtionem aquae debilitatur ; ut tandem totum fiat aquosum.*

5. — **Virtus nutritiva, augmentativa et generativa.** — Porro, ordinatur virtus nutritiva ad reparationem eius quod deperdit vivens in exercitio suarum functionum, quod facit, convertendo extraneam materiam in propriam substantiam. Per augmentativam vero, pervenit vivens ad illam magnitudinem, quae specificae suae naturae convenit : ubi notandum, etiam non viventia augeri ; at in his augmentum incipit et desinit ab extra ; in illis vero, incipit ab extra, sed desinit ad intra. Demum viventia, per virtutem generativam, formant intra se certam corpoream substantiam, ordinatam ad reproductionem alterius viventis similis speciei ; productio vero non viventium fit per extrinsecam actionem alterius agentis.

6. — PROP. — **Prima viventium origo nonnisi per immediatam Dei actionem explicari potest.**

7. — **Auctoritas S. Scripturae.** — Hoc imprimis eruitur ex modo dicendi Genescos [2] : *Germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram.*

[1] 1, Quaest. CXIX, art. 1 ad 4[m]. — [2] Cf. L. II Contra gent., C. 90 ; L. II de Anima, c. 4.

Et protulit terra herbam virentem et facientem semen iuxta genus suum; lignumque faciens fructum, et habens unumquodque sementem secundum speciem suam. — Quibus verbis tria clare manifestantur.

Primo, nonnisi ex Dei iussione provenit quod, in media rudi et inerti materia, res organicae eruperint, vitali scilicet principio dotatae, virtute nempe nutritiva, augmentativa et generativa, habentes quoque in semetipsis principium suae reproductionis et sic regnum vegetale constituentes, supra regnum minerale specifice elevatum.

Secundo, in hoc quod herbis et plantis Deus vim reproductivam indiderit, regni vegetativi perennitati consulit, maxime respectu habito ad generis humani terrae fructibus alendi, proximam propagationem.

Tertio, etsi herbae et plantae ex una eademque terra nutriantur, nihilominus nunquam propriam naturam, specificas proprietates aut exteriorem speciem amittunt; ita ut unaquaeque earum alias herbas aut plantas generet non solum iuxta genus, sed iuxta speciem substantialem. Quapropter, etsi possint, per artificiosam culturam, aut virtute conditionum caeli, aeris aut temperiei, variationes accidentales in herbis, floribus, arbustis aut plantis, haberi, typus tamen fundamentalis in eisdem immutabilis permanebit.

8. — **Ratio theol.** — Ad intelligendum quomodo principium vitale in plantis superet omnem vim mechanicam aut chimicam mineralium, et proinde ex his procedere non possit, sufficit considerare quomodo, per tres supradictas functiones, res perenniter innovatur in sua substantia, per continuatam internam secretionem, seu synthesim et analysim chimicam, cuius virtute vetus substantia transeunte, nova inducitur, salva subiecti identitate. In regno minerali, e contra, virtus omnis inhaerens elementis materiae exercetur circa exteriora subiecta, nec dari potest interior mutatio, quin ipsum esse rei destruatur. Habent quidem res inertes suam quaeque energiam et actionem et vires mere physicae, ut calor, lux, humiditas, electricitas propria ac determinata operatione donantur; at nulla ex hisce viribus potest materiam inorganicam, quale est alimentum quo ani-

mal vescitur, ad speciem superiorem transferre, uti faciunt viventia, in quibus proinde necesse est agnoscere vim quamdam, omni inerti materia superiorem.

Ubi sedulo notandum venit, mirabiles effectus nutritionis, augmenti et generationis in viventibus, non debere calori, humiditati aliisque viribus physicis, tanquam agentibus principalibus, attribui, sed tantummodo tanquam instrumentis, cum virtus principalis sit ipsa anima vegetativa, quae his agentibus, sicut etiam semine, tanquam instrumentis, ad fines suos utitur. — Sciendum quoque, inter has virtutes seu facultates, generativam, ex qua plantarum reproductio habetur, magis quam alias functiones organicas, distantiam signare inter chimicam organicam et inorganicam, adeo ut nunquam possit, ex meris viribus materiae, vel minimus vitae gradus produci. — Concludendum ergo, impossibile esse primam viventium originem citra Dei immediatam actionem repeti.

9. — Anima plantarum specifice superior est omni forma mineralium. — Quae cum ita sint, dicendum est, ideo non posse, quacumque virtute creata, induci in mineralibus, vel minimum vitae vegetativae gradum, quia plantarum, vel infimi gradus, anima specifice superior est quacumque forma substantiali totius regni mineralis, nec potest nisi a primo ente, quod est naturae auctor, distantia illa pertransiri. Nec solum ob maiorem chimicorum elementorum abundantiam aut varietatem, quibus constat, vel ob praesentiam in eo organorum rudimentalium, semen specifice superat omne id quod natura mineralium in se continet, sed formaliter ob arcanam illam virtutem qua informatur, vi cuius potest evolvi et transmutari in plantam viventem, plantae parenti specifice identicam: unde semen vel minimae herbae omnem inorganicam materiam superat, cum in eo sit, saltem in potentia, principium vitale, quod in mineralibus omnino desideratur. Quocirca dicendi sunt imaginationi vane indulgere qui censent ex motu agentium physicorum, puta, lucis, caloris, humiditatis, electricitatis, etc., debuisse, post tot iam transacta saecula, in aliquo planeta, puta in Marte, quemdam tandem, vel rudimentalem vitae gradum erumpere.

10. — Solvitur tacita obiectio. — Nec obiiciatur id quod dicitur, impotens esse minerale vitam ex seipso suscitandi, relative, non absolute dici, cum secreta naturae a nobis nondum plene cognoscantur, et fieri posse ut, novis adinventis elementorum concursionibus, ex atomo inertis materiae, germen vivificans tandem oriri: — nam, licet non omne id cognoscamus cuius capax est natura, scimus tamen id cuius impotens existit. Etenim insufficientia, de qua loquimur, non ex numero aut compositione elementorum, sed ex eorum natura resultat, cum productio minimi gradus vitae, seu primordialis cellulae vitalis, totum supergrediatur ordinem eorum activitatis: virtus enim seminalis, ex qua determinatur productio viventium corporeorum, non est qualiscumque, sed proprie vitalis est virtus, omnibus regni vegetalis viribus superior: porro, nequit effectus superare causam suam [1]. Quocirca, ad poeticum somnium reduci debet quod aliqui insanientes comminiscuntur, terram scilicet aut aquam, plantarum et animalium seminibus, ex propria activitate, sese fecundasse.

11. — Prima viventium origo non potuit esse nisi a Deo. — Cum ergo prima viventium origo non possit adscribi virtuti rerum materialium, hinc non restat nisi ut vel susbtantiis spiritualibus, vel Deo attribuatur. At impossibile est, a substantia spirituali vivens corruptibile produci, cum hoc sit specie dissimile ab illa, nec angelo talis competat in materiam potentia, ut eidem imperare possit ad nutum [2]. Quocirca a Deo solo, qui est vivens incorruptibile, imo vita ipsa, et ante quem *gentes quasi stilla situlae sunt* [3], originem habuit prima vitae cellula, perpetuanda per aetates, virtute seminalis principii, iuxta propriam uniuscuiusque viventis speciem. Nec fuit necesse ut actio, qua tantam viventium varietatem Deus in esse produxit, distincta esset ex parte illius, sed satis fuit ut esset distincta ex parte effectuum: ni-

[1] Quomodo recentiores scientifici homines incassum conati sint demonstrare primam plantae aut animalis originem ex protoplasmate quodam, ostendimus in libro L'OPERA DEI SEI GIORNI. Vol. II, c. I, n. 22. — [2] Cf. 1, Quaest. LXV, art. 3 et 4. — [3] Is., XL, 15.

mirum, sicut eadem lux ita refrangitur, ut originem det tot diversis coloribus quot sunt in natura, aut eadem vox a multis adstantibus auditur, mirandum non est si Verbum Dei, in suo fonte unum et simplex, per illud omnipotens *fiat*, repercussum fuerit in omnibus viventibus quae sunt super terram [1].

[1] Pulcre G. M. L. Monsabré: *Questa materia elementare, afferrata da una forza superiore, nei viventi diventa l'elemento organico, la cellula. Qui, come nel mondo inorganico, tutto obbedisce ad una stessa legge, tutto si compie nelle stesse proporzioni, nella stessa misura. Quale immensa varietà di forme nelle innumerabili legioni di esseri contenuti nei due regni vegetale ed animale! Eppure, malgrado questa varietà, malgrado gli strani misteri della trasformazione, che fa alternare le generazioni, malgrado la cura gelosa, colla quale certi viventi nascondono il loro imeneo, l'esperienza ci permette di affermare, che non vi è vivente, che si conservi e si sviluppi se non per via di assimilazione: non vi è vivente che non abbia origine da un uovo o da un altro generatore.* Conf. XIV. Armonia del mondo.

APPENDIX II.

Utrum admitti possit evolutio unius viventis ab altero.

1. — Ratio quaestionis. — Non satis fuisset primam vitae originem in terra ab immediata Dei operatione contra materialistas vindicasse, nisi etiam ostenderetur, contra evolutionistas, id specierum immutabilitate requiri, ut omnes ab eadem prima omnium causa in sua quaeque natura producerentur, exclusa derivatione superiorum formarum ab inferioribus. — Ubi, pro re nata, de solis plantis, quarum creatio ad opus tertiae diei pertinet, restringi hic deberet nostra consideratio; at, quoniam ratio quae pro immutabilitate specierum in vegetalibus affertur, viget etiam pro animalibus, usque ad hominem inclusive: ideo, ne in idem argumentum postea reverti cogamur, utrumque regnum hic comprehendemus.

2. — Peregrina evolutionismi evolutio. — Igitur, de evolutionismo hic agemus, cuius quidem systematis adeo variabilis extitit sors, ut cum ante medium circiter saeculum, omnia fere athaenea, funestae luis instar, infecisset, modo fere ab omnibus derelictum est, et velut in oblivione sepultum marcescit. Cuius excidii ratio est, non solum quia systema illud adinventum fuit rectae rationi contrarium, sed etiam quia omni caret confirmatione ex eis quae in natura continentur, quin potius ea quae sic dicti scientifici homines, tanquam evolutionis specimina, in visceribus terrae, ut aiebant, occlusa repererunt, non semel fraude producta fuisse dicenda sunt. — Attamen pretium operae erit hic breviter exponere, hinc quidem quidnam contenderint evolutionistae, illinc vero, quomodo nutet omne illius systematis fundamentum.

3. — Quid evolutionistae docuerint. — Fuit evolutionismi principium fundamentale, diversas viventium species non

ex immediata Dei actione, sed ex primigenia quadam simplicissima cellula, quae ipsamet, virtute circumstantiarum favorabilium ex materia inorganica producta fuisset, longo saeculorum decursu, diversas viventium species fuisse evolutas. Debetur primitus introductio systematis huius cuidam insanienti viro, cui nomen de Maillet, qui protoparentum nostrorum originem derivari voluit ex illis primitivis germinibus, initio in aquis, quae totam terram cooperiebant, existentibus: quae germina, aquis postea evaporatis, in novis vitae conditionibus posita, tum plantis, tum animalibus originem dederunt [1]. Huic successit, secunda medietate saeculi XVIII, Renatus Robinet, qui, legi continuitatis a germano philosopho Leibnitz expositae innixus, seriem omnium viventium non interrupta gradatione repetiit ab arcana quadam vi, quae ab infima vegetali forma profecta, tandem ad hominem usque pervenerit, quem tamen, temporis decursu, praetergressura est [2].

4. — Evolutionismi causae effectrices. — Maiori plausu suscepta est hypothesis Lamarck [3], qui omne viventium genus repetendum voluit ex quibusdam primitivis germinibus, ab ipso proto-organismis vocatis, quae per fluida invisibilia ad vitam sponte suscitata, in texturas cellulares postea gradatim erant evolvenda.

Cuius rationes sunt sequentes. Cum res organizata, quacumque ex causa, novis vitae conditionibus subditur, sequitur illam novas indigentias (bisogni) novaque desideria

[1] Natus est extravagans hic auctor apud Saint-Mihiel, in Lotharingia, A. D. 1656. Liber vero in quo theoria haec exponitur titulum habet, Teillamed, *ou entretien d'un philosophe indien avec un missionaire français sur la diminution de la mer.* Amsterdam, 1748. Nomen *Telliamed* non est aliud, nisi *de Maillet*. — [2] Operi in quo doctrinae istae continentur titulus est, *De la nature*, editum annis 1761-68, Amstelodami, in quatuor voluminibus, quibus addidit Robinet *Considérations philosophiques sur la gradation naturelle des formes de l'être*, 1768, quod est quintum volumen dicti operis. Robinet cessit e vita Rhedonis, A. D. 1820, cum declarasset velle se in sinu Ecclesiae mori. — [3] Bazentin, in Picardia, A. D. 1744 natus, mortuus est Parisiis, A. D. 1829.

persentire, quibus ut satisfaciat, determinatum debet organismum in actum ponere. Quod si hic iam existat, exercitio perficitur; si desit, iteratis conatibus suscitatur. Sic desiderium offendendi capite cornua tauro suscitavit, et necessitas imis in aquis cibum adinveniendi cycneo collum curvavit. Tum, vi legis hereditatis, organa a genitoribus acquisita ad prolem transmittuntur, quae eadem vicissim augmentare potest, ita ut, pluribus iam transactis generationibus, viventia alicuius classis multa possideant organa, quibus antecessores carebant. Tandem, mutatis conditionibus aeris vel circumstantiarum ambientium seu habitationis, fieri potuit ut usus alicuius organi frustraretur, quod sic atrophizatum remansit, ut videre est in pluribus mammiferis atque reptilibus.

5. — Darwinismus. — Magno favore systema hoc mox a naturae cultoribus susceptum est, maxime duce Carolo Darwin, anglo, qui causis evolutionis a Lamarck numeratis addidit luctam pro vita, necnon selectionem naturalem et sexualem [1]. Porro admiserat quidem in initio hic auctor aliquot typos fundamentales primitivos, ex quibus, per transformationes gradatas et continuas, praesens varietas explicatur; at eius discipuli ulterius eius doctrinam extenderunt, dicentes totam viventium seriem, non excluso ipso homine, ex simplici materiae cosmicae atomo quae, per successivam evolutionem, facta est primo quidem monera [2], tum amoeba [3], tum larva et vermis, qui successive fit pro, seu semi-simia, monocercus, seu simia caudata, simia anthropoidis, ut gorilla, pithecanthropus, seu homo-simia, et tandem homo simpliciter.

6. — A quibusnam agentibus ascensus praedictus perficitur. — Quaerenti vero quonam pacto ad hunc effectum per-

[1] Liber in quo ista exponuntur titulum habet, *On the origin of species by means of natural selection*. Londini, 1859. — [2] A graeco μονήρης, *solitarius, simplex*. Ita vocavit Häckel primos organismos ob magnam eorum simplicitatem, cum iuxta eum, aliud non sint, nisi parvae massae albuminae homogeneae, informes, susceptivae contractionis et expansionis, aptae ad nutritionem et reproductionem. — [3] Ab ἀμείβω, *mutare*: sic dicta, ob mutationem continuam, cui iste primitivus organismus subditur.

veniri potuerit, respondent huius scholae patroni, invocata primo quidem *naturali selectione*, qua unumquodque vivens, irresistibili impulsu, quaerit, inter ea quibus circumdatur, id quo ad maiorem sui perfectionem ferri possit, sicut videmus virtute digestiva seligi illa elementa, quae planta sibi possit assimilare, ceteris relictis; tum vi alterius principii, quod *luctam pro existentia* vocitant, vitalis exurgit, inter individua, competitio, sicut videmus, ubi plurimi sunt volucres, insecta destrui et abundantiorem fieri messem; ex quo tandem sequitur ut *superstes maneat aptius vivens*, quod tandem partas multo labore qualitates tanquam legitimam hereditatem prognatis relinquit, ut ita ontogenesis, id est formatio specialis individui sit via ad phylogenesim, id est ad stirpis formationem.

7. — Evolutio accidentalis et substantialis. — Non est autem confundenda evolutio quae foret de specie in speciem, cum ea quae intra determinatam speciem continetur; et illam quidem, non istam, reprobatione dignam existimamus. Dantur etenim, etiam intra eamdem speciem, tales organicae metamorphoses, quae prima facie aguere viderentur transitum a forma substantiali inferiori ad formam substantialem superiorem, quae tamen non sunt nisi accidentales typi modificationes, qualis est, puta, transformatio chrysalidis in papilionem, aut rosae sylvestris in domesticam: et quidem, huiusmodi differentiae originem dant varietati stirpium, non specierum. Et in hoc quidem multi decipiuntur, qui videntes posse res, puta per artificiosam culturam, in melius commutari, temerarie edixerunt specierum limites, specialibus datis circumstantiis, posse pertransiri. Difficultas igitur in hoc consistit, quod specierum differentia probe definiatur.

8. — Distinctio specifica viventium. – Equidem quaedam dantur criteria, quibus potest species a specie discerni. Primo, cum corpus serviat animae in suis operationibus, ex differentia morphologica et anatomica aliquorum viventium concludi potest ad eorum quoque in specie differentiam: sic, verbi gratia, ex diversa complexione piscis et avis, rite concluditur animalia illa etiam specie substantiali differre.

At vero, principale non est criterium hoc, cum materia sit propter formam, et non vice versa; unde certius criterium desumitur ex proprietatibus, et consequenter ex operationibus, cum omnis res sit propter suam operationem. Altius adhuc et principalius criterium est generatio, cuius principia, activum scilicet et passivum, ad unam prolem specie similem gignendam sponte uniuntur: unde necesse est illa in specie convenire. — *Sponte*, dicimus: nam, si quidem per coniunctionem hybridam, puta asini cum equa, artificialiter obtinetur animal alterius speciei, ut mulus, id postea invenitur, hunc aut generandi potentia carere, aut si quando generet, non mulum sibi similem, sed aut equam aut asinum parit: genito scilicet ad typum naturalem redeunte: quocirca, nequit hybridorum generatio induci tanquam evolutioni favens, eo vel magis, quod proles sic genita ad speciem pertinet specie unius generantium non altiorem, sed potius inferiorem.

9. — Notanda. — Adverti autem hic debet, per systema transformismi, quidquid de illius probabilitate dici velit, minime explicari quî factum sit ut aliqua viventia in uno alterove huius viae ascensivae puncto, ita constiterint, ut altius assurgere non potuerint, puta, canes, pecudes, etc.

Ulterius, sedulo notandum est, defuisse, inter evolutionismi fautores, illam explicationis unitatem quae eidem, penes graves homines, quamdam potuisset observantiam conciliare: unde res impossibilis foret, et si quidem possibilis, certe inutilis prorsus, singulas tot extragavantium capitum sententias recitare.

10. — Evolutionismus, scala ad atheismum. — Unum tamen taceri non debet, videlicet, etsi priscorum evolutionismi fautorum mens non esset Dei notionem, sive in prima rerum formatione, sive in earumdem conservatione, excludere, mox tamen homines in materiae cultum proclives eo systemate usi sunt ad omnem a mundo Dei interventum e medio pellendum. Sic, materialista Vogt [1] non dubitavit asserere, per hypothesim transformisticam, Deum e mundo abiici; simi-

[1] Vorlesungen uber den Menschen, II, 260.

liter, malae famae evolutionista Büchner palam edixit Deum ipsum esse atomum, cui res omnis, quantumvis minima, sui esse debitrix est, cum aliunde Deus non sit nisi vanum nomen ad nostram tegendam ignorantiam.

11. — Vana nonnullorum ad transformismum cohonestandum conamina. — Contra tam impias voces multi merito surrexerunt, qui tamen evolutionismi speciositate capti, illum putarunt cum libris sanctis in harmoniam posse adduci, contendentes eumdem posse cum datis Sacrae Scripturae, saltem ut hypothesim, posse reconciliari [1]. Admiserunt scilicet, potuisse Deum mundum secundum illud systema creare, capacem scilicet graduatae evolutionis, si non a primaeva inorganica materia, saltem ab aliquis typis fundamentalibus, ut voluit Darwin. Horum etiam nonnulli arbitrati sunt posse se, in sententia S. Augustini, de qua longius infra agemus, confirmationem sui systematis adinvenire, supponentes in aliquibus moleculis materiae primordialis latentes quasdam virtutes, quae lento gressu, res animatas, per scalam transformationum insensibilium, ut voluerunt Darwin et Häckel, vel, ut alii malunt, per improvisas et saltuarias transmutationes, in flora et fauna terrestri produxerunt, scilicet per transformationes illis metamorphosibus similes, quas in Ovidio descriptas legimus, ut puta cum bos necopinato in primum urum aut protoleonem erupit. At huius ultimae sententiae paucos admodum fautores est invenire.

[1] Ita F. Vigouroux, in Manuale Biblico. Vol. I. Vecchio Test. P. I. p. 555. Sic etiam tenere videtur P. Corluy, S. I., quando, in op. Spicilegium Dogm. Bibl. T. I. p. 198, scribit: *Transformismus darwinianus dicendus est sensui Scripturae obvio contradicens, non tamen aperte textui sacro adversari.* His addi debent P. M. D. Leroy, *L'Evolution des espèces organiques*, d'Omalius d'Halloy, *Sur le Transformisme*. Bulletin de l'Académie royale de Belgique, 1873; Chan. Hamard, *Dictionnaire apologétique de la foi cath.*, col. 3093; St George Mivart, *The Genesis of species*; Güttler, *Lorenz Oken und sein Verhältnis zur modernen Entwickelungslehre*; A. Barry, *Some light of Science on the Faith*; Gonzalez, *La Bibbia y la Ciencia*; Mir, *La creacion*; etc.

12. — PROP. — **Transformismus specierum substantialium, α) non solum ut thesis, β) verum etiam ut hypothesis, impossibilis est.**

13. — **Prob. 1ª Pars. — I. Scriptura et Patres.** — Imprimis specierum evolutio Textui Sacro aperte contradicit, qui nobis exhibet in initio mundi distinctam et bene distributam viventium seriem, quae etiam videmus, a Noe in arcam, Dei iussu, introducta fuisse, ne perirent. Quocirca, haec semper fuit universalis Patrum et Doctorum Ecclesiae sententia, res in suis quasque naturis a summo omnium Factore immediate conditas fuisse, ac sic debitas ei laudes rependere [1]: *Benedicite Domino omnia opera eius.*

14. — **II. Monumenta.** — In antiquissimis, quae ad nos usque pervenerunt monumentis, haec eadem Scripturae et Ecclesiae vox resonatur; quandoquidem in eis sive scripto, sive figura, diversae plantarum et animalium species eaedem, quas nunc cognoscimus, exhibentur. Sic prostant, in hieroglyphis, plantarum et animalium figurae, florae et faunae nostrae correspondentes; sic descriptiones illae quae, sive in Scriptura Sacra, sive in profanis antiquis scriptoribus, de quibusdam animalibus, puta de equo, de leone, etc., leguntur, ultro evincunt nullum viventia ista progressum substantialem edidisse, aut eorum species utcumque evolutioni subiacuisse. Signanter vero qui fructus arborum aut quae plantarum semina Pompeii et Herculani sub cineribus aut lava Vesuvii sepulta diu iacuere, ad lucem modo restituta, eamdem inventa sunt referre formam, quae nunc in regno vegetali deprehenditur.

15. — **III. Processus embryologicus.** — Idipsum processu embryologico demonstratur. Licet enim embryones diversorum viventium corporeorum in prima periodo suae formationis, in forma seu apparentia exteriori, quadamtenus inter se similes videantur, tamen, ex auctoritate celebrium naturalium accipimus, similitudinem hanc perfectam non esse, cum

[1] P. CII, 22.

potius dissimilitudinis vestigia prae se ferant. Ceterum, etsi omnes embryones eosdem characteres morphologicos exhiberent, ex quo iidem moventur ad terminos specifice diversos, hoc nequit esse nisi ob internam vim specifice diversam.

16. — Prob. 2ª Pars. — Cum factum sit simile facienti, omne enim agens agit sibi simile, idcirco, id quod facit res naturales, habet similitudinem cum composito, vel quia est compositum, sicut ignis generat ignem, vel quia totum compositum, et quantum ad materiam, et quantum ad formam, est in virtute ipsius quod est proprium Dei [1]. Huius autem rei ratio est quia principium operationis est forma per quam agens operatur: hinc agens intendit imprimere formam suam in effectu, — non quidem *propriam* formam, sed specie similem, quam suscitat vel educit de potentia materiae. Quocirca, impossibile est agens determinatae speciei producere rem speciei diversae, puta, minerale producere plantam, aut animal generari a planta. Porro, omnis res creata, ratione suae unitatis, non habet nisi unam formam naturalem, seu substantialem, quae dat rei esse specificum. Atqui omnis effectus assimilatur formae per quam agens agit. Ergo nulla res creata potest producere nisi effectus sibi similes in specie. Solus ille, qui est suum esse, et a quo dependet totum esse rerum, scilicet, tum materia, tum forma, potest producere res a se specifice dissimiles.

Cum igitur tum ratio, tum experientia demonstrent omnem effectum assimilari formae per quam agens operatur, omne agens vero non habeat nisi unam formam naturalem per quam agit, concludere debemus, relationem illam specificam inter causam et effectum, quam natura nobis in rebus patefacit, ab ipsis mundi primordiis extitisse, et sicut quercus nunc nonnisi quercum producit, aut leo leonem, sic inde ab initio mundi simile produxit sibi simile in specie.

17. — Species intermediariae impossibiles. — Insuper, quod species intermediariae, ab evolutionistis, in gratiam sui systematis invocatae, sint impossibiles, ex hoc evincitur,

[1] 1, Quaest. CX, art. 2.

quod tales species partecipare deberent de proprietatibus unius et alterius speciei, cum tamen species inter se distinguantur sicut habitus et privatio ; proindeque individuum speciei cuiusdam, mediae inter plantam et animal, deberet hinc quidem esse sensitivum, illinc vero non sensitivum, quod repugnat.

18. — Inclinatio naturae in unoquoque ente. — Ex alio quoque capite ostenditur falsitas evolutionis specierum, nempe ex innato unicuique rei desiderio propriam naturam conservandi. *Inest enim*, ait S. Thomas [1], *unicuique naturale desiderium ad conservandum suum esse, quod non conservaretur, si transmutaretur in alteram naturam. Unde nulla res, quae est in inferiori gradu naturae, potest appetere superioris naturae gradum, sicut asinus non appetit esse equus : quia si transferretur in gradum superioris naturae, iam ipsum non esset.*

Obiicienti, in rebus cerni quoque naturale quoddam desiderium propriae perfectioni incrementum addendi, *in hoc*, observat iterum S. Thomas [2], *imaginatio decipitur ; quia enim homo appetit esse in altiori gradu quantum ad aliqua accidentalia, quae possunt crescere absque corruptione subiecti, aestimatur quod possit appetere altiorem gradum naturae, in quem pervenire non posset, nisi esse desineret.*

Concludendum igitur cum oratorum principe [3] : *Omnis enim est natura diligens sui. Quae est enim, quae se unquam deserat, aut partem aliquam sui, aut eius partis habitum, aut vim aut ullius eorum quae secundum naturam sunt, aut motum, aut statum ? Quae autem natura suae primae institutionis oblita est ? Nulla, profecto, quin suam vim retineat a primo ad extremum.*

19. — Fundamentum erroris evolutionistarum. — Ultimo iuverit advertere, radicem erroris evolutionistarum reponi in neglecta consideratione finalitatis rerum mundanarum. Semel enim praetermisso fine ob quem unaquaeque res constituta fuit, necesse est eius propriam et specificam operationem, proprietatesque ignorari. Sicut igitur principium finalitatis est clavis ad explicandam specificam singulorum

[1] 1, Quaest. LXIII, art. 3. — [2] Ibid. — [3] L. de Finibus, l. IV, c. 13.

viventium speciem, ita ut plantae hoc tantum habeant, ut vitam vegetativam explicent, animalia vero sentiant, et, si sint perfecta, se etiam localiter moveant; sic, hoc neglecto principio, nil vetat quominus ab una specie ad aliam transeatur, et sic e medio tollatur mirabilis illa rerum distinctio et distributio, quam mundi Conditor initio instituit. Propria igitur transformismi tessera est dysteleologia.

20. — Evolutio applicata Ecclesiae eiusque dogmatibus. — Denique, opportune advertetur, ab evolutionismi fautoribus, maxime ab Herberto Spencer († 1903) et modernistarum turba, peregrina evolutionismi principia non intra naturae confinia, sed tum ad societatis progressum, tum maxime ad Ecclesiam eiusque sanctissima dogmata ultro extensum fuisse, ita ut, quemadmodum finxerunt hominem rudem ac sylvestrem et nonnisi circumstantiarum vi ad conditionem animalis rationalis assurrexisse; ita etiam commenti sunt hodierna Ecclesiae dogmata fructum esse latae cuiusdam evolutionis, quae sub influxu favorabilium circumstantiarum, praesentem symboli formam, ab antiqua valde dissimilem, determinarunt.

21. — Evolutio dogmatum secundum Al. Loisy. — Huius autem rei luculenta prostat confirmatio in temerariis speculationibus Alfridi Loisy, qui ex conceptu evolutionistico vitae, qualem ex Kant et Spencer hauserat, exorsus, tum Ecclesiae Catholicae constitutionem, tum eius dogmata iugi cuidam transformationi subiecta esse voluit. Sic quippe scribebat infelicissimus vir: *Reprocher à l'Eglise catholique tout le développement de sa constitution, c'est donc lui reprocher d'avoir vécu, ce qui pourtant ne laisserait pas d'être indispensable à l'Évangile même. Nulle part, dans son histoire, il n'y a solution de continuité, création absolue d'un régime nouveau; mais chaque progrès se déduit de ce qui a précédé, de telle sorte que l'on peut remonter du régime actuel de la papauté jusqu'au régime évangélique autour de Jésus, si différents qu'ils soient l'un de l'autre, sans rencontrer de révolution qui ait changé avec violence le gouvernement de la société chrétienne. En même temps, chaque progrès s'explique par une nécessité*

de fait qui s'accompagne de nécessités logiques, en sorte que l'historien ne peut pas dire que l'ensemble de ce mouvement soit en dehors de l'Évangile. Le fait est qu'il en procède et qu'il le continue [1]. — Huc referenda est sequens a Pio X condemnata propositio [2]: *Dogmata quae Ecclesia perhibet tamquam revelata, non sunt veritates e caelo delapsae, sed sunt interpretatio quaedam factorum religiosorum quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit* [3].

[1] L'Evangile et l'Eglise, p. 110. Paris. 1902. Eaedem perniciosae doctrinae confirmantur et plenius explicantur ab eodem Loisy in alio recentiori Opusc. *Autour d'un petit livre*, Paris, 1903. — [2] Est 22ª in Decreto *Lamentabili sane*, 3 Iul., 1907. — [3] De hoc argumento legi utiliter potest iam laudatus *Monsabré*, qui difficultatem praeveniens de instrumentis siliceis epochae tertiariae, a Bourgeois. apud Thenay, adinventis, ex quibus concludi vellet primitivum quoddam hominum typum ante epocham quaternariam in terra vixisse, qui postea in praesentem typum evolutus fuisset, haec scite scribit: *Delle due cose l'una: o gli scienziati riconosceranno di avere esagerato il valore dei loro cronometri, e si vedranno obbligati di attribuire ai loro terreni un'età più recente; oppure novelle scoperte ci porranno sulle traccie di un essere antropomorfo, il quale, nella mirabile gradazione del piano divino,... fu l'abbozzo e il precursore dell'uomo, e al quale converrà attribuire gli strumenti dell'epoca terziaria. Non avete voi osservato, nel regno animale, alcuni saggi meravigliosi dell'industria, sarei per dire, proprii della società umana? Vi sono tra gli animali, filatori, tessitori, vagliatori, taglialegne, muratori, architetti, distillatori e perfino monarchici e repubblicani. Perchè non vi sarebbe un tagliatore di pietra, vale a dire un animale capace di lavorare in modo grossolano la pietra dei proprii usi, e fabbricare, bene o male, martelli, cesoie, coltelli, succhielli, raschiatoi per tagliare la frutta, svellere e pulire le radici, che formano il suo nutrimento? Esaminata bene ogni cosa, i prodotti della sua industria istintiva, paragonati ai prodotti primitivi dell'industria umana, non presentano nulla di più straordinario, che non presenti la capanna del castoro paragonata a quella del selvaggio.* Conf. XIII, Origine del mondo.

QUAESTIO NONA.
(LXX-LXXIV).

DE OPERE ORNATUS.

PROLOGUS.

1. — Triplex opus ornatus. — Distinctionis opere completo, accinxit se Deus ad opus ornatus, id est productionis, seu melius formationis, ex praeexistente materia, illarum rerum quae, distinctae a caelo, aqua et terra, a Deo ordinabantur, ut essent harum rerum respectiva ornamenta, ad quod opus pertinent verba Ecclesiastici [1]: *Ornavit in aeternum opera illorum, nec esurierunt, nec lavoraverunt, et non destiterunt ab operibus suis.* Porro, per caelum, aquam et terram, tria corpora designantur, scilicet supremum, medium et infimum; unde ornatus quartae diei, relate ad caelum, distinctioni primae diei, correspondet; ornatus quintae diei, relate ad aquam, distinctioni secundae diei; tandem, ornatus sextae diei, relate ad terram, distinctioni tertiae diei.

2. — Quid significat nomen ORNATUS. — Nec sine ratione ornamenta vocantur res productae tribus ultimis diebus hexameron mosaici: in hoc enim differt ornatus a distinctione, quod ad hanc quidem pertinet formatio illarum rerum quae sunt intrinsecae rei productae; ad ornatum vero spectant res extrinsecae obiecto ornato ab eoque realiter distinctae. Etenim, productio lucis relate ad caelum, firmamenti relate ad aquam, et plantarum relate ad terram, pro his rebus, rationem intrinsecae perfectionis habuit; res vero ornatus motu locali omnes donantur, quo et a corpore quod adornant, et a seipsis realiter distinctae perhibentur.

3. — Comparatio inter opus ornatus et opus creationis et distinctionis. — Hinc, ad opus ornatus pertinent omnes

[1] XVI, 27.

illae res, quae habent motum localem, sive in caelo, ut planetae [1], sive in aqua et aere, ut pisces et aves, sive denique in ipsa terra, ut animalia terrestria. Quapropter, formatio illorum animalium imperfectorum, quae facultate motiva carent, nec alium motum habent, nisi dilatationis et restrictionis, ut tethea (molluschi), quae fungi potius quam pisces sunt, non quidem ad opus ornatus, sed ad opus distinctionis proprie pertinent, et tertia die cum plantis sunt formata.

Igitur, sicut ad opus creationis pertinet productio ipsiusmet substantiae elementorum, ita ad opus ornatus, prout etiam de opere distinctionis diximus, pertinet formatio aliquarum rerum ex praeexistentibus elementis [2], et primo quidem formatio ornatus caeli; secundo, formatio corporis medii; tertio corporis infimi, scilicet terrae: quae multiplex formatio, iuxta traditionalem doctrinam, fuit opus immediatum Dei, iuxta illud [3]: *Spiritus eius ornavit caelos, et obstetricante manu eius, eductus est coluber tortuosus.* Quocirca, in hac quoque quaestione, evincemus immediatam ex parte Dei formationem, primo, astrorum (1); secundo, animalium tum aquaticorum, tum aeriorum (2); tertio, animalium terrestrium, incluso homine (3), reiecta illa, quam vocant creationem derivativam. Quibus expensis, specialis addetur consideratio de iis quae ad septimum diem, in quo est sabbatismus Dei, pertinent (4).

4. — **Ordo quaestionis.** — Quae cum ita sint, quatuor hic investiganda proponuntur.

Primo. De opere quartae diei.
Secundo. De opere quintae die.
Tertio. De opere sextae diei.
Quarto. De pertinentibus ad septimum diem.

[1] Licet soli, qui in systemate copernicano centrum est systematis planetarii, non competat, sicut planetis, motus translationis, iuxta quem circa aliud corpus caeleste revolvatur; nihilominus inest ei motus rotatorius circa proprium axim, ab occidente ad orientem, qui completur spatio viginti quinque dierum et octo horarum: qui motus sufficit, ut dicatur solis formationem pertinere ad ornatum, cuius opera motu locali specificantur. — [2] 1, Quaest. LXXVIII, art. 1. — [3] Iob, XXVI, 13.

Articulus I. — *De opere quartae diei.*

1. — Descriptio operis huius diei in Genesi. — Quartae diei opus ita a Moyse describitur [1]: *Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento caeli, et dividant diem ac noctem, et sint in signa et tempora, et dies et annos: ut luceant in firmamento caeli, et illuminent terram. Et factum est ita. Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, ut praeesset dies; et luminare minus, ut praeesset nocti; et stellas. Et posuit eas in firmamento caeli, ut lucerent super terram, et praeessent diei ac nocti, et dividerent lucem ac tenebras. Et vidit Deus, quod esset bonum. Et factum est vespere et mane, dies quartus.*

2. — Cur ex omnibus hisce corporibus, sol et luna specialiter dicuntur luminaria magna. — Porro, quod ex omnibus caelestibus corporibus, sol et luna specialiter dicantur luminaria magna, non est praecise ob eorum molem, cum luna relative parva sit, et astra quaedam, centra aliorum systematum planetariorum, ipso sole maiora esse possint: sed hoc ideo est, quia nobis videntur esse ceteris maiora: unde, ait S. Thomas: *Moyses, rudi populo condescendens, secutus est quae sensibiliter apparent.* Praecipue autem hoc est, quia horum potissime corporum influxu, phaenomena terrestria reguntur, puta, generatio plantarum, fluxus et refluxus maris, imo sanitas corporalis animalium.

3. — Scholion. — Signanter autem notatu dignum est quod de sole scribit Angelicus Doctor. *Sol*, ait [2], *in corporibus inferioribus calorem causat, agendo secundum quod actu est. Unde oportet, quod calor a sole generatus aliqualem similitudinem obtineat ad virtutem activam solis, per quam calor in istis inferioribus causatur, ratione cuius sol calidus dicitur, quamvis non una ratione. Et sic sol omnibus illis similis aliqualiter dicitur, in quibus suos effectus efficaciter inducit; a quibus tamen rursus omnibus dissimilis est, in quantum hu-*

[1] Gen., I, 14-19. — [2] 1, Quaest. LXX, art. 1, ad 3[m].

iusmodi effectus non eodem modo possident calorem huiusmodi, quo in sole invenitur.

Quod autem attinet ad lunam, videretur prima facie haudquaquam verum esse quod dicitur: *Ut praeesset nocti*, cum non semper noctu resplendeat. At, observandum est, illam, sicut solem, a Deo factam fuisse, non solum ut luceret, sed etiam ut temporis divisionem signaret: quapropter, hinc quidem, ut plurimum, noctu splendere debebat, ad tenebras discutiendas, iuxta illud quod canit Ecclesia [1]:

Nocturna lux viantibus,
A nocte noctem segregans ;

illine vero, debebat periodice abscondi, ut mensis naturalis mensura esse posset. Et sic, dum ex hoc quod apparet et disparet, signat periodicum reditum mensium, sol, vicissim splendendo tempore plus minusve longo, et percurrendo, saltem apparenter, diversa signa zodiaci, determinat non solum dies, sed etiam tempestates anni, iuxta illud [2]: *Sint in signa et tempora, et dies et annos* [3]. Licet autem huiusmodi signa sint etiam causae, potius tamen dicta sunt signa quam causae, ne inde idololatriae occasio hebraeis praeberetur, dum scilicet vicissitudines istas divinae actioni subtraherent [4].

Advertere hic licebit quam pulcher sit ordo universi, et quam aptus ad suscitandos admirationis motus erga divinum eius auctorem! Quod si sapientes ii vocantur, qui hunc ordinem, quem ipsi non instituerunt, plenius percipiunt, quanto sapientior erit ille qui totam mundi machinam non modo mente concepit, sed etiam opere complevit!

4. — Descriptio operis quartae diei in liturgia Ecclesiae. — Pulcre Ecclesia opus quartae diei celebrat [5]:

Caeli Deus sanctissime,
Qui lucidas mundi plagas
Candore pingis igneo,
Augens decoro lumine :

[1] L. I Contra Gent, C. 29. — [2] Gen, I, 14. — [3] Notetur, verba haec dici per figuram hendyadis, et aequivalere huic: *Sint in signa temporum, dierum et annorum.* — [4] 1, Quaest. LXX, art. 2, ad 2[m]. — [5] In hymno feriae IV, ad Vesp.

Quarto die qui flammeam
Dum solis accendis rotam,
Lunae ministras ordinem,
Vagosque cursus siderum:
Ut noctibus, vel lumini
Diremptionis terminum,
Primordiis et mensium
Signum dares notissimum.

5. — Alighierii descriptio de sole, luna et ordine caeli. — Digna quoque est quae recenseatur, elegans quam Alighierius de sole, luna, caelique ordine, tradit descriptio. Et primo quidem solem vocat [1],

Lo ministro maggior della natura,
Che del valor del cielo il mondo imprenta,
E col suo lume il tempo ne misura.

Luna quoque ab eodem poeta vocatur [2], *l'eterna margherita,* et describitur,

Lucida, spessa, solida e pulita
Quasi adamante che lo sol ferisse.

Caelorum etiam harmoniam ita describit [3]:

Leva dunque, lettore, all'alte ruote
Meco la vista dritto a quella parte
Dove l'un moto all'altro si percuote.
E lì comincia a vagheggiar nell'arte,
Di quel maestro, che dentro a sè l'ama
Tanto che mai da lei l'occhio non parte.
Vedi come da indi si dirama
L'obliquo cerchio che i pianeti porta,
Per satisfare al mondo che li chiama;
E se la strada lor non fosse torta,
Molta virtù nel ciel sarebbe in vano,
E quasi ogni potenzia quaggiù morta.
E se dal dritto più o meno lontano
Fosse il partire, assai sarebbe manco,
E giù e sù, dell'ordine mondano.

[1] Parad., Canto X, vers. 28, seq. — [2] Ibid., Cant. II, vers. 30 seq. — [3] Ibid., Cant. X, vers. 7, seq.

6. — Quaestio. — *In quanam positione formati fuerunt sol et luna?*

Respondet S. Thomas, duo haec astra formata fuisse in oppositione in horizonte, scilicet, sole existente in oriente et luna in occidente : ex quo etiam argumentum sumit ut concludat, corporum resurrectionem probabiliter complendam esse mane, *in crepusculo, sole existente in oriente et luna in occidente ; quia in tali dispositione sol et luna creduntur esse creata, ut sic eorum circulatio compleatur penitus per reditum ad idem punctum* [1].

7. — Relatio operis huius diei ad opus primae diei. — Porro, cum legatur lux facta prima die, non videtur quomodo luminaria hac quarta die facta fuerint. — Ad quod solvendum, dicendum est prima quidem die lucem factam fuisse secundum communem lucis naturam ; unde virtus illuminandi, quae quarta hac die attribuitur soli et lunae, potius respicit determinatam illam virtutem praedictis luminaribus concessam, relate ad illos effectus particulares irradiationis, calorici, aut reflexionis vel refractionis lucis, de quibus diffusim tractant physici : quapropter, dici potest lucem horum corporum, quae informis producta est prima die, quarta die formatam fuisse [2].

Quod vero attinet ad distinctionem diei et noctis, in quantum importat temporis lapsum comprehensum intra determinatos limites qui, relate ad totum, sint velut principium et finis, haec fuit opus primae diei ; sed speciales distinctiones dierum et temporum, secundum quod dies est calidior die, et tempus tempore, et annus anno, fiunt secundum speciales motus stellarum, qui possunt intelligi quarta die incepisse [3].

8. — Orbium distinctio, secundum Laplace. — Celebris mansit hypothesis, a naturalista Laplace, in opere *Exposition du système du monde* [4] conficta, iuxta quem systema

[1] Supplem., Quaest., LXXVII, art. 3 ; 1, Quaest. LXX, art. 2 ad 5[m]. Cf. tr. n. DE NOVISSIMIS, Quaest. VII, art. 3, n. 13. — [2] 1, Quaest. LXX, art. 1, ad 2[m]. Cf. Quaest. praeced., art. 1, n. 10. — [3] Ibid., ad 3[m]. — [4] Hoc opus primum evulgatum est A. D. 1796.

nostrum planetarium non aliud in initio fuisset, nisi immensa materiae gasseae massa, in qua, in motum redacta, nucleus primum, qualis rotationis centrus, efformatus est, accedente ad extremitates forma sphaerica. Postmodum, virtute contrariae actionis virium centrifugae et centripetae, a primaeva illa substantia plurimae massae separatae sunt, quae planetis ac satellitibus systematis nostri originem dederunt.

Cuius formationis ratio redditur, quod, per vim centrifugam, gassea materia in aequatore accumulatur; per vim centripetam vero, comprimitur ad polos: unde aequatorialis extremitas huius massae in annuli formam separata est, qui cum iuxta motum sibi impressum pergeret revolvi, nec in omnibus suis partibus aequalis densitatis esset, in tot immensa fragmenta raptus est. Porro, huiusmodi fragmenta, ob motum sibi impressum, operante duplici vi, centripeta scilicet et centrifuga, formam et ipsa sphaericam acceperunt, novos globos vicissim efformantes, ita tamen ut tempus pro uniuscuiusque globi formatione requisitum illius magnitudini esset proportionatum. Quapropter, aiunt exegetarum nonnulli, pro terrae formatione tertium diem, pro formatione vero solis, qui decies centenis millibus maior terra est, quartum diem Scriptura assignat.

9. — Critica huius theoriae. — At sententia haec, etsi magno plausu primum recepta, non uno tamen ex capite exceptioni est aperta. Licet enim, quod ad primigeniam materiae rationem attinet, probabilitate non vacet, tamen ad orbium caelestium formationem quod spectat, arbitraria nimis est, quam ut ultro possit suscipi. Tantam enim sapientiam revelat compositio systematis nostri planetarii, ut explicari non valeat, nisi per directam Dei actionem, quod etiam Scriptura indicat, dum ait [1]: *Fecit... Deus... luminare maius,... et luminare minus,... et stellas.* Ceterum, textu ipso inspirato docemur, talem directum Dei interventum agnoscendum esse in singulis operibus Hexaemeron.

Ulterius advertetur, posse quidem admitti transitum, ope

[1] Gen., I, 16.

legum physicarum, a statu gasseo primitivo, ad statum aqueum et solidum, qui immediate praecessit opus distinctionis; at insoluti problematis instar semper manet dubium, quonam medio massa illa gassea liquefieri ac solidari potuerit.

Utique, ex scientiarum adinventis habemus, quod ad planetam nostrum attinet, illum primitus in statu liquido extitisse, quod et Scripturae consonum est, ubi dicitur [1]: *Et Spiritus Dei ferebatur super aquas*, et S. Augustinus ultro scribit [2]: *Rarior aqua velut nebula terram tegebat, donec, congregatione spissata, terra longe lateque subsedit;* praeterea [3]: *Haec congregatio appellanda est ipsa formatio, ut talis esset aquae facies, qualem nunc esse cernimus.*

At, non ita certum est quod de systematibus quae ad transitum hunc explicandum, nonnulli excogitaverunt, scilicet neptuniano et plutonico: quae systemata in hoc conveniunt, quod utrumque perducit mundum ad illum tenebrarum, confusionis et luctae statum, qui per tohuvabohu Geneseos significatur; differunt vero in hoc quod, secundum illud systema, ex solidificatis illius ingentis massae elementis, primo centralis nucleus formatus est, cum tamen superiores regiones aquis, velut immenso oceano, undequaque cooperirentur; secundum istud vero, massa globi nostri, ex nimio elementorum attritu, in statum incandescentiae primum transivit; quae paulatim frigefacta, in superficie consolidata est, et hoc modo vaporum condensationem et aquae lapsum determinavit.

10. — Sententia ponentium corpora caelestia fuisse animata. — Adeo autem pulcra sunt corpora caelestia, et tantam intuentium excitant admirationem, ut plures exstiterint, non solum inter philosophos paganos, sed et inter Patres Ecclesiae, quibus visum est illa fuisse animata. Id nimirum tenuerunt Platonici, quos Origenes secutus est [4], quocum convenisse videtur S. Hieronymus [5]. Ex altera tamen parte, Anaxagoras, ut refert S. Augustinus [6], apud Athenienses,

[1] Gen., I, 2. — [2] L. de Gen. ad litt, I, 40. — [3] Contra Manich., I, 12. — [4] L. I Petriarch., c. 7. — [5] Sup. illud Eccles., I, 1: *Lustrans universa*, etc. — [6] L. XVIII, de Civ. Dei, c. 41, t. VII, col. 523.

tanquam reus denunciatus est, quod dixisset aliud solem non esse, nisi lapidem ardentem, et non deum, aut aliquid animatum, prout ipsi existimabant.

Porro, S. Basilius [1], S. Chrysostomus [2], Theodoretus [3], S. Cyrillus Alexandrinus [4], necnon S. Ioannes Damascenus [5], tenent corpora caelestia non esse animata, dum ipse S. Augustinus [6] non audet sententiam proferre, licet fateatur [7] quod, si quidem sunt animata, sine dubio eorum animae ad angelorum societatem pertinere debent. In media quoque aetate, invenitur Stephanus Tempier, episcopus Parisiensis, habito theologorum concilio (A. D. 1277), eorum sententiam damnasse, qui affirmabant animam caeli esse intelligentiam, et globos caelestes illius instrumenta, eo modo quo oculus et auris organa sunt virtutis sensitivae [8].

De huiusmodi dissidio, Angelicus Doctor, qui has omnes sententias exponit [9], iudicium fert, illud apparens, potiusquam reale, esse: nimirum, doctores negantes, ait, loquuntur de animatione formali; affirmantes vero de animatione efficienti ex parte angelorum moventium, pro qua sufficit unio accidentalis inter motorem et motum [10].

11. — Vis motiva in corporibus caelestibus. — Enimvero, etsi corporibus caelestibus non uniatur substantialiter aliqua forma spiritualis, quae in eis sit principium vitae, qualis est anima, hoc non tollit quin eisdem possit coniungi, tanquam virtus motrix et gubernatrix, aliqua substantia spiritualis separata, scilicet angelus, cui subditur motus localis corporum, ut docet S. Thomas [11]; ita ut immateriales isti spiritus horum orbium revolutionibus regulariter praesint et moderentur.

Nec huic obstant leges mechanicae caelestis, quales a Kepler, Newton, Laplace, aliisque formulatae sunt. Etenim,

[1] Homil. III, in Hexam. — [2] Homil. I. in Ann. — [3] In Psalm., CXLVIII, et in Isa. — [4] Contra Iul., l. II. — [5] L. II, Orthod. fid., c. 6. — [6] L. II, sup. Gen. ad litt., c. 18. — [7] Enchir., c. 58. — [8] Bibl. PP. Paris, t. IV. Fleury, H. E, l. LXXXVII. V. — [9] 1, Quaest LXX, art. 3. — [10] Rationes supra exposuimus, cur philosophice teneri nequeat caelestia corpora esse animata. Quaest. LXVI, art. 2, n. 3, p. 182. — [11] 1, Quaest. XC, art. 3.

potuisset utique Deus, absolute loquendo, motum corporibus caelestibus directe imprimere; at maluit ordinem universi, a se ipso stabilitum, iuxta quem angeli sunt eius virtutis instrumenta, in hoc quoque observari: ideoque, sicut corpora non movent, nisi mota, ita etiam prima motus impressio in caelestibus corporibus ab extrinseco eis provenit, scilicet a virtute angelica, quae illis etiam, quantum ad derogationes miraculosas, moderatur.

Postulat igitur harmonia universi, in caelestibus corporibus, praesentiam angelorum, qui sint velut nautae in navibus, illorum motum gubernantes, iuxta leges a Deo praefixas, et qui praesint derogationibus, quae ex divina ordinatione, extra consuetum naturae cursum eveniunt.

Quomodo motus corporum caelestium, praecisione facta a legibus attractionis et repulsionis quibus reguntur, dici debeat naturalis, ita a S. Thoma declaratur [1]: *Motus corporis caelestis est naturalis, non propter principium activum, sed propter principium passivum: quia scilicet habet in sua natura aptitudinem ut tali motu ab intellectu* (scilicet ab angelo), *moveatur.*

12. — Mirabilis Dei sapientia in opere quartae diei specialiter manifestata. — In huius diei opere relucet quammaxime mirabilis Dei sapientia, pro qua processus regularis immensae machinae universi non est nisi velut pueri lusus. Sane ex conspectis pene infinita mole orbium caelestium, eorumque magnificentissimo splendore, necnon harmonia eorum motuum, sponte animo insurgunt sensus admirationis potentiae et pulcritudinis Dei, cuius illa non sunt nisi pallida velut imago, et cuius nutui splendida ista astra, tanquam nobiles bellatores, festivi prodeunt, purpura et auro cooperti ac ducem suum, velut corona, circumdantes. Sic quippe legimus in Baruch [2]: *Stellae autem dederunt lumen in custodiis suis et laetatae sunt: vocatae sunt et dixerunt: Adsumus, et luxerunt ei cum iucunditate qui fecit illas* [3].

[1] 1, Quaest. LXX, art. 3, ad 4[m]. — [2] III, 34, 35. — [3] Frequenter tum in Sacra Scriptura, tum in Liturgia, appellativum *militiae caelestis*, datur multitudini stellarum. Cf. Deut., XVII, 3.

13. — Scholia I. — I. Quae, circa corporum caelestium naturam et motus, necnon astronomiae leges, ex noviter deductis scientifice noscuntur, non solum non infirmant, sed potius roborant quae Sacra Scriptura de hisce rebus nos edocet. Sic, verbi gratia, quod lux praeextiterit formationi solis, non solum explicatur per hoc quod prima die informis extiterit quantum ad virtutem particularem, ad producendos determinatos effectus, ut explicat S. Thomas [1]: sed etiam ex recentibus adinventis circa radios x et generaliter phoenomena electricitatis perbelle illustratur.

II. Nec inconvenienter notabitur, textum Ecclesiastae [2]: *Terra in aeternum stat.* quem nonnulli, post sancitum scientifice systema heliocentricum a Copernico tanquam probabile propositum et a Galilaeo susceptum, velut erroneum traducere praesumpserunt, iamdiu ab Angelico Doctore intellectum fuisse, non quasi terra sit immobilis, sed ad significandam perennem elementorum immutabilitatem et durationem. *Quaedam*, ait ille [3], *quantum ad hoc immutabilitatem sortiuntur a Deo, quod nunquam esse desinunt, et secundun hoc dicitur de terra quod* IN AETERNUM STAT: *et sic aeternitas angelis attribui potest.*

III. Denique, quod aliquos saltem, ex antiquis scriptoribus, non effugerit, stellas, quae oculis nostris parvae videntur, posse realiter mole solem superare, testis est S. Augustinus, qui opinionem aliquorum, quam tamen non plene approbat, refert, dicere audentium, *multas stellas, vel aequales soli, vel etiam maiores sed longius positas, parvas videri.* Quod autem hoc revera sit, non est ambigendum, cum huiusmodi stellae a terra et inter sese distent quammaxime, et lux earum quae nobis viciniores sunt, nonnisi post trium vel quatuor annorum tempus ad nos perveniat, licet lex sit, lucem velocitate ter centum millium chilometrorum quolibet minuto secundo propagari.

[1] 1, Quaest. LXVII, art. 4, ad 2[m]. — [2] I, 4. — [3] 1, Quaest. X, art. 3.

ARTICULUS II. — *De opere quintae diei.*

1. — Descriptio huius operis in Genesi. — Opus quintae diei, seu secundae diei ornatus, per quod exordium sumpsit regnum animale in avibus et piscibus, ita in Genesi describitur [1]: *Dixit etiam Deus: Producant aquae reptile animae viventis, et volatile super terram sub firmamento caeli. Creavitque Deus cete grandia, et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquae in species suas, et omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum. Benedixitque eis, dicens: Crescite et multiplicamini, et replete aquas maris; avesque multiplicentur super terram. Et factum est vespere et mane dies quintus.*

2. — Ecclesiae vox. — Hoc opus ita Ecclesia concinne celebrat [2]:

Magnae Deus potentiae,
Qui fertili natos aqua
Partim relinquis gurgiti,
Partim levas in aëra:

Demersa lymphis imprimens,
Subiecta caelis erigens;
Ut stirpe ab una prodita
Diversa repleant loca.

3. — Notandum. — Porro verba haec: *Ut stirpe ab una prodita*, non sibi volunt, ut aliqui recentiores autumaverunt [3], reptilibus et volatilibus identicam fuisse originem, eaque per viam evolutionis fuisse distincta; sed significant huiusmodi animalibus communem fuisse originem ex parte principii materialis unde fuerunt formata, id est aquae. Si secus esset, nulla esset ratio ponendi haec ipsa verba hoc loco, potius quam in hymno quartae diei, cum, iuxta evolutionismum, omnes res ponantur productae ex simplici protoplasmate.

[1] I, 20-23. — [2] Hymn. fer. V, ad Vesp. — [3] Sic ANTONIUS FOGAZZARO, in op. *Per un recente raffronto delle teorie di sant'Agostino e di Darwin circa la creazione*, 6ª Ed. p. 46, Milano, 1892.

Ceterum, hymni isti non sunt nisi commentarium textus genesiaci; unde citata verba hisce aequivalent [1]: *Producant aquae reptile animae viventis, et volatile super terram.* — Ubi observare iuvat, vocem latinam, *stirps*, significare, inter alia, *principium, fontem, originem, rationem*; unde non solum causam formalem, sed etiam principium materiale denotat, quod in casu praesenti significatur.

4. — Proprium opus quintae diei. — Igitur, sicut regnum minerale operibus secundae et quartae diei et regnum vegetale opere tertiae diei, completum fuerat, ita opus quintae diei, quod correspondet operi secundae diei, distinctionis, scilicet, corporis medii, seu aquarum, pro obiecto habuit formationem regni animalis. Cum autem lex sit, in productione rerum, perfectum praecedi ab imperfecto, hinc animalia terrestria, tanquam magis perfecta et quantum ad distinctionem membrorum, et quantum ad reproductionem, formari non debuerunt, nisi sexto die, eorumque productio praecedi debuit formatione piscium et volatilium, in quibus perfecta haec distinctio deest, et quae tantummodo oviparia sunt [2].

5. — Causa materialis et efficiens, ex quibus animalia producta quinta die formata sunt. — Quae cum ita sint, dicendum est materiam, ex qua Creator produxit animalia recensita in opere huius diei, fuisse aquam; nisi velit assumi, ad volatilium productionem, Deum usum fuisse vapore aqueo quo totus aer compenetratur, seu aere ipso, ut sic corresponderet materia eorum formationis elemento in quo vivere debebant; licet necesse foret ut in corporibus horum animalium elementum terrestre abundaret, ut elementorum mixtio posset sustineri, ut advertit S. Thomas [3].

Quod autem spectat ad principium activum, quod in generatione naturali animalium, est virtus formativa quae est in semine, in prima illa productione, haec alia non fuit nisi Verbum Dei, quod, secundum interpretationem communem Patrum quos supra memoravimus, produxit in actu supradicta animalia ex materia elementari.

[1] Gen., I, 20. — [2] 1, Quaest. LXXI. ad 5[m]. — [3] Ibid., ad 1[m] et 2[m].

6. — Affinitas inter volatilia et pisces. — Porro, non sine ratione simul nominantur volatilia et pisces, cum multiplex, inter duas istas species animalium, affinitatis caput existat. Primo, cognatae substantiae sunt aer et aqua in quibus animalia ista respective vivunt; insuper, duo ista elementa sunt mobilia, diaphana, humida, subtilia, facile ad invicem transmutabilia. Praeterea, tam animalia volatilia quam aquatica, summa agilitate donatur; et tam alae in illis, quam squamae in istis, analogos motus eisdem conferunt, ad pondus eorum corporis aliquo modo alleviandum. Demum, plures sunt volatilium species, quae partim aquatica, partim terrestria sunt, ut, verbi gratia, anseres, cycni, lari, fulicae, vituli marini, etc.

7. — Benedictio piscibus et volatilibus concessa. — Tandem, adnotandum est, animalibus hac die formatis specialem benedictionem, tanquam perennis fecunditatis pignus, a Deo concessam fuisse, ut hinc quidem reconditi aquarum meatus frequentarentur, illinc vero aer dulcibus resonaret concentibus: unde et legimus [1]: *Benedicite cete et omnia quae moventur in aquis Domino: ... benedicite omnes volucres caeli Domino.* Plantis quidem collata non fuerat ista benedictio, cum absque aliquo sensu et desiderio speciem propagandi generent; unde dignae tali benedictione non sunt reputatae [2]. Eadem autem benedictio repeti non debebat, nisi in casu hominis, cum destinaretur etiam animalibus terrestribus, quorum productio esse debebat opus sextae diei.

8. — Mirabilis piscium populus. — Quam mirabilis sit piscium, quibus maria et flumina replentur, populus, verbis significat regius propheta, dum ait [3]: *Hoc mare magnum, et spatiosum manibus: illic reptilia, quorum non est numerus.* Revera, Dei, iussu, immensus notantium populus maris latebras adimplevit, quorum aliqua mole sua atque mirabili vi, alia vero agilitate ac dexteritate praestabant. Et illa quidem hisce tenuioribus vescuntur; non ita tamen ut eorum stirpem destruant, cum haec sint in fuga velocissimi ac se

[1] Dan., III, 79, 80. — [2] 2, Quaest. LXXII, ad 4[m]. — [3] Ps. CIII, 25.

in loca grandioribus inaccessa recipiant, ubi necessaria ad suam sustentationem facile adinveniunt; cumque mira fecunditate donentur, numero minime minuuntur.

Articulus III. — *De opere sextae diei.*

1. — Descriptio operis sextae diei in Genesi. — Sextae diei opus, quod in ornatu infimi corporis, quod est terra, consistit, excluso eo quod ad formationem hominis spectat, ita a Moyse recensetur [1]: *Dixit quoque Deus: producat terra animam viventem in genere suo: iumenta, et reptilia, et bestias terrae secundum species suas. Factumque est ita. Et fecit Deus bestias terrae iuxta species suas, et iumenta et omne reptile terrae in genere suo. Et vidit Deus, quod esset bonum.* — Porro, advertendum est, Deum in productione piscium, dixisse [2]: *Producant aquae reptile animae viventis;* nunc autem dicere [3]: *Producat terra animam viventem,* quo dicendi modo, aperte significatur animalia terrestria eminere aquaticis quae, potius quam viventia, sunt corpora aliquid de anima participantia; dum animalia terrestria, propter maiorem vitae suae perfectionem, sunt velut animae corporibus dominantes [4].

2. — Ecclesiae vox. — Opus huius diei sic ab Ecclesia recitatur [5]:

Hominis superne Conditor,
Qui cuncta solus ordinans,
Humum iubes producere
Reptantis et ferae genus:
Et magna rerum corpora,
Dictu iubentis vivida,
Per temporum certas vices
Obtemperare servulis.

3. — Tres animalium terrestrium classes. — Notandum vero, tres animalium terrestrium classes in Scriptura distingui: primo loco, sunt animalia domestica, quae in Vulgata

[1] Gen., I, 24-25. — [2] Gen., I, 20. — [3] Ibid., 24. — [4] 1, Quaest. LXXII, ad 1[m]. — [5] Hymn. ad Vesp., Feria VI.

vocantur *iumenta*, quasi iuvamenta, et ea sunt quae quocumque modo homini deserviunt, ut, puta, canis, bos, equus, camelus, etc. Secundo, sunt *reptilia*, distincta profecto a reptilibus quinta die recensitis; quo nomine veniunt cuncta illa animalia quae reptant seu serpunt super terram, vel quia nullatenus pedes habent; vel, si habeant, isti tam breves sunt, ut vix videantur elevari a terra: huiusmodi sunt serpentes, vermes, lacertae, cervi, etc. [1]. Tertio, sunt *bestiae*, quo nomine intelliguntur animalia saeva et indomita, quae dentibus et unguibus laedunt.

4. — **Adnotanda.** — I. Circa differentiam inter feras et animalia domestica, advertendum est, a Deo repeti debere horum mansuetudinem ac docilitatem, ut patet ex hoc quod nonnulla sunt, utique robustissima, quae homini parent ad nutum, cum alia, exilioris naturae nullo modo valeant sub eius imperio reduci [2].

II. Omnia ista animalia ad opportunum hominis usum ordinantur; quaedam quidem ad escam, ut cervi, oves, dorcades, etc.; alia vero ad ministerium, ut equi, boves, asini, cameli, etc.; alia ad voluptatem, ut simiae, psittaci, et picae. Sed et plantarum atque herbarum quaedam fructiferae sunt et comestibiles, quaedam odoriferae et floridae ad iucunditatem, ut rosae; quaedam demum ad morborum sanationes. Igitur, nullum est animal, nulla planta, in qua Deus operationem quamdam, utilitati hominum conferentem, non posuerit; sed nec inutilis dicenda est ferarum praesentia, cum hoc ipso quod nos perterrent, ad invocationem divini Numinis efficaciter inducant.

5. — **Cartesianismus et evolutionismus textui genesiaco repugnant.** – Porro, ex eo quod hic, et in opere praecedentis diei, *anima vivens* recensetur, expresse confutatur theoria Cartesii, qui ab hoc principio exorsus, animam scilicet esse

[1] Enumerationem diversarum specierum animalium hac die productorum videre est apud S. Basilium, *In Hexaem.* Hom. IX, et S. Ambrosium, *Hexaem*, l. VI, c. 4. Vide etiam Cornel., a Lapide, in h. l. — [2] Cf. Iob., XXXIX, 5, 9, 10, 11.

cogitationem, illam bestiis, cogitationis incapacibus, denegavit, quas proinde automata dixit esse, velut machinas mirabiliter constructas, operationes suas iuxta determinatas leges mechanicas perficientes.

Ex altera vero parte, cum expresse dicatur Deus formasse animalia *iuxta species suas*, id est, unumquodque in genere suo, hinc sedulo retinendum est diversas animalium species immediata Dei operatione fuisse productas [1]. De animalibus hybridis vero, id est ex duabus speciebus distinctis productis, ut mulus ex equa et asino, aut viceversa, Scriptura tacet, et recte, cum huiusmodi, utpote non pertinentia ad primam intentionem naturae, sed velut accidentales eiusdem productiones, formata non fuerint actu, sed tantummodo in potentia; unde videmus Deum, speciali lege sancita, Iudaeis prohibuisse species maritare, *incrociar le razze* [2].

6. — Animalia venenosa et naturaliter ferocia. — Circa animalia venenosa et naturaliter ferocia hominique nociva, quorum productio prima facie contraria videretur bonitati Dei, iuvat observationem heic referre, quam habet S. Augustinus [3]: *Si in alicuius opificis officinam imperitus intraverit, videt ibi multa instrumenta, quorum causas ignorat, et si multum est insipiens, superflua putat. Iamvero, si in fornacem incautus ceciderit, aut ferramento aliquo acuto, cum id male tractat, se ipsum vulneraverit, etiam perniciosa et noxia existimat ibi esse multa, quorum tamen usum, quoniam novit artifex, insipientiam eius irridet, et verba inepta non curans, officinam suam instanter exercet. Et tamen tam stulti sunt homines, ut apud artificem hominem non audeant vituperare quae ignorant, sed cum ea viderint, credant esse necessaria et propter usus aliquos instituta: in hoc autem mundo cuius conditor et administrator praedicatur Deus, auderent multa re-*

[1] Hinc non ita recte ab aliquo catholico scriptore legitur, transformismum mitigatum, qui scilicet varias animalium species ex evolutione repetit. Textui sacro non adversari. Nec probandum quod gratuito addunt, nomini *genus* significationem in Scriptura non esse, quam penes nos obtinet. — [2] Levit., XIX, 19. — [3] L. I, de Gen. contra Manich., c. 16.

prehendere, quorum causas non vident, et in operibus atque instrumentis omnipotentis artificis volunt se videri scire quod nesciunt... Etsi domui nostra non sunt necessaria, eis tamen completur huius universitatis integritas. Ceterum, nullum animal homini nocivum extitisset, si ipse non peccasset; aliunde divina Providentia non permisisset eadem mutuo se devorare, antequam sufficienter propagata fuissent: quapropter, non erat unde timenda foret, ex hoc capite, praematura nimis extinctio speciei.

7. — Formatio hominis. — In hac quoque sexta die, tanquam complementum operis sex dierum, a Deo formatus est homo: sic enim legitur [1]: *Et ait: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et praesit piscibus maris, et volatilibus caeli, et bestiis, universaeque terrae, omnique reptili quod movetur in terra. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam.* Pulcre Tertullianus [2]: *Non imperiali verbo, sed familiari manu; verbo etiam blandiente praemisso:* FACIAMUS HOMINEM.

Fuit opus istud perfectissimum inter visibilia opera manuum Dei, compendium mirabilium hucusque perfectorum, cum formatus fuerit homo ut esset rex creationis, imperium habens, tanquam suae dignitatis insigne, super omnes terrenas creaturas. Huic specialis benedictio data est, qua hinc certior fiebat propagatio generis humani, illinc unumquodque individuum liberum manebat ab opere generationis, maxime respectu boni maioris, sese abstinendi. Similis benedictio, ut diximus, data fuerat animalibus quinta die creatis, id est, piscibus et avibus, nec necessarium fuerat eamdem iterari pro animalibus terrestribus, quibus sponte extendebatur. At, in casu hominis, debuit formaliter repeti, tum quia propagatio generis humani ordinabatur ad complendum numerum electorum; tum quia, temporis decursu, surrecturi erant haeretici, qui institutionem et usum matrimonii tanquam opus spiritus mali traducturi erant [3].

[1] Gen., I, 26, 27. — [2] Adv. Marcion., l. II, n. 4. — [3] 1, Quaest. LXXII, ad 4[m]. De homine, quantum ad ordinem supernaturalem pertinet, in opere speciali egimus, cui titulus est, DE PRIMA HOMINIS FORMATIONE.

8. — **Comparatio inter narrationem mosaicam de operibus quintae et sextae diei et hodierna scientiae adinventa.** — Quod si modo ea conferre velimus quae de operibus quintae et sextae diei narrat Scriptura, cum iis quae geologicis studiis nuper sunt adinventa, inveniemus his non modo narrationem illam minime infirmari, sed potius valide roborari. Etenim, in stratis epochae mezozoicae, seu secundariae, non solum inveniuntur fossilia reptilium, qualia in Scriptura describuntur tanquam opus quintae diei; sed etiam tanta frequentia inibi existunt, ut haec a geologis reptilium epocha vocitetur, in qua cete inveniuntur ingentis magnitudinis necnon aves generis struthionis. Necessaria quidem non fuerat praesentia solis pro inferioribus formis vitae animalis, quibus deest virtus locomotiva et quae vix rudimentali sensatione donantur; eidem tamen virtuti attribui nunc debet quod grandia illa animalia suas potuere operationes explicare. Pariter, vegetatio carbonifera epochae praecedentis, dum magnum acidi carbonici volumen absorbuerat, aerem quoque ita purificaverat, ut illa perfectioris vitae animalia suas commodius et uberius operationes exercere valerent.

Tandem, nonnisi in epocha tertiaria seu cenozoica, et quaternaria, in qua vivimus, apparent mammifera, quadrupedia magna et parva, a Moyse tanquam opus sextae diei descripta, et tandem prodit homo, cuius fossilia nonnisi in stratis quaternariis deprehenduntur. Videtur scilicet Deus, in hac ultima phase formationis mundi, vestigium infinitae suae magnitudinis imprimere voluisse, mammifera illa gigantea formando, ut megatherium, dinornidem, dinotherium, mastodontem et alia plura, quae nunc non amplius existunt, at quorum fossilia sepelita inveniuntur, sive in argilla, sive in glacie, ut sic praeluderet formationi perfectioris omnium, scilicet hominis.

9. — **Verba P. Monsabré.** — Quomodo universum in gratiam hominis condiderit Deus, pulcre ostendit Monsabré: *Dall'istante, nel quale il primo* FIAT *scuoteva il nulla, Dio a questa sua creatura privilegiata faceva convergere i secoli e le rivoluzioni del globo.Era per l'uomo che si sollevavano le montagne, le quali poi dovevano coronarsi di ghiacci e di nevi*

eterne e alimentare la sorgente dei fiumi, feconde arterie e prime vie tracciate alle emigrazioni delle famiglie e delle razze: era per l'uomo che si accumulavano i duri graniti e le pietre d'ogni sorta, che i marmi più ricchi si formavano in fondo ai mari, che dalle viscere ardenti della terra scaturivano masse di metalli e di pietre preziose, che sotto l'azione di cause diverse si formavano tutti i materiali di sì utili costruzioni, di sì perfetti strumenti, ornamenti sì splendenti, di opere sì ammirabili. Era per l'uomo che le grandi foreste delle epoche antiche, dopo aver purificata l'atmosfera satura di gas micidiali erano divelte dalle tempeste, inghiottite dai diluvi, deposte e fortemente calcate nei bacini mediterranei o negli estuari dei fiumi, da una serie di azioni chimiche trasformate in tratti immensi di combustibile, aspettanti che il genio dell'industria venisse a disseppellirle e a tramutarle nei più validi strumenti della civilizzazione; era per l'uomo che il regno animale perfezionato metteva alla prova i climi e preparava la comparsa di specie utili.

Il peso del mondo lo trae verso l'uomo, e il peso dell'uomo lo trae verso Dio. Vedete voi inchinate verso il re-pontefice delle creature le legioni del mondo angelico? Esse recano a lui le ispirazioni, i consigli, i soccorsi della sapienza e della forza divina: esse, attraverso i loro cori sterminati, portano a Dio le preghiere e i rendimenti di grazia della natura, che escono dal cuore e dalle labbra sacre dell'umanità. La penetrazione degli esseri, cominciata dall'amore, condotta dall'amore, nel supremo amore si consuma [1].

[1] Esposizione del Dogma Catt. Conf. XIV, *Armonia del mondo*.

APPENDIX.

De sententia S. Augustini circa opus sex dierum.

1. — Ratio quaestionis. — Quae hucusque a nobis exposita est successiva rerum formatio, quemadmodum geologicis adinventis pressius respondet, ita conformis est ei quae communi Patrum sententia tenetur. Ab his tamen excipiendus est S. Augustinus, cuius placita hac in re pretium operae erit singillatim expendere, maxime cum eius expositionem Angelicus Doctor magna reverentia fuerit prosecutus; quod eo vel magis praestandum nobis est, quia evolutionistarum plures, ex iis videlicet qui se catholicos dici voluerunt, eius auctoritate in veritatis detrimentum non modicum sunt abusi.

2. — Libri a S. Augustino circa opus sex dierum conscripti. — Porro, opera in quibus Hipponensis Doctor sensus suos aperuit, sunt potissime sequentia. Primum, liber *de Genesi contra Manichaeos*, quem circa annum 389 composuit; *de Genesi ad litteram imperfectus liber*, circa annum 393 exaratus; demum magistrale opus, *de Genesi ad litteram libri duodecim*, quem serius conscripsit, scilicet ab anno 401 ab annum 415.

Pretium operae est ea relegere quae de singulis hisce operibus scribit S. Pater. De primo, scilicet, *de Genesi contra Manichaeos*, haec habet [1]: *Contra Manichaeos, qui has litteras Veteris Testamenti non aliter quam oportet accipiendo errant, sed omnino non accipiendo et detestando blasphemant, duos conscripsi libros recenti tempore conversionis meae, cito volens eorum confutare deliramenta, vel erigere intentionem ad quaerendum in litteris quas oderunt christianam et evangelicam*

[1] L. VIII, de Gen. ad litt., c. 2.

fidem. Et quia non mihi tunc occurrebant omnia, quemadmodum proprie possent accipi, magisque non posse accipi videbantur, aut vix posse, aut difficile, ne retardarer, quid figurate significarent ea, quae ad litteram non potui invenire, quanta valui brevitate et perspicuitate explicavi, ne vel multa lectione vel disputationis obscuritate deterriti, in manus ea sumere non curarent.

De secundo opere, scilicet de libro imperfecto in Genesim, ita loquitur [1]: *Cum de Genesi duos libros contra Manichaeos condidissem, quoniam secundum allegoricam significationem Scripturae verba tractaveram, non ausus naturalium rerum tanta secreta ad litteram exponere, hoc est, quemadmodum possent secundum historicam proprietatem quae ibi dicta sunt accipi, volui experiri in hoc quoque negotiosissimo ac dificillimo opere quid valerem; sed in Scripturis exponendis tirocinium meum sub tantae sarcinae mole succubuit: et nondum perfecto uno libro, ab eo quem sustinere non poteram labore conquievi.*

Denique de tertio magistrali opere haec habet [2]: *Scripsi postea duodecim libros, quorum titulus est:* DE GENESI AD LITTERAM: *in quibus quamvis multa quaesita potius quam inventa videantur, tamen eis iste* (scilicet IMPERFECTUS LIBER) *nullo modo est comparandus... Breviter enim potius admoneo ut illi duodecim libri legantur, quos longe postea episcopus feci, et ex ipsis de isto iudicetur.* — Quae cum ita sint, ad hunc ultimum librum, potius quam ad alia opera S. Augustini recurrere debemus, si quidem probe scire velimus qualis circa sex dierum opus genuina mens eius fuerit.

3. — Creatio caeli et terrae secundum S. Augustinum. — Vidimus iam quomodo Hipponensis praesul docuerit materiam informem non praecessisse duratione formationem eius, et caelum terramque, quae dicuntur creata in principio, significare materiam omni forma orbatam: unde materia non temporis duratione, sed solum natura et origine formationem rerum praecessisset, eo videlicet modo quo potentia praecedit actum et pars totum [3]. Praeterea, sicut per terram

[1] Retract. l. I, c. 18. — [2] Ibid. — [3] Supra, Quaest. LXVI, art. 1, n. 3, p. 178.

initio creatam, S. Augustinus intellexit materiam omni forma orbatam, ita per caelum significatam voluit naturam angelicam informem, consideratam scilicet absque eo quod eam perficit, quod est inhaerentia primae veritati. Quocirca nihil actu extitit, iuxta hunc sanctum Doctorem, ante opus primae diei.

4. — Opera sex dierum, secundum S. Augustinum. – Discedit quoque Augustinus ab aliis sanctis Doctoribus in iis quae ad opus singulorum dierum pertinent. Primo, quod de lucis formatione narratur, referri debet, iuxta illum, ad formationem creaturae spiritualis, et verba *fiat lux* significant productionem lucis spiritualis, tanquam illuminationem a Verbo Dei derivatam [1]. Simul quoque cum angelis, creata tunc fuit, et sic ante corpus, iuxta eumdem sanctum Doctorem, anima humana.

In opere secundi et tertii diei significatum voluit Augustinus actualem corporum creationem, scilicet, in illo, creationem corporum superiorum, in isto, creationem corporum inferiorum, cum priora superent posteriora, sicut spiritualis natura superat corporalem. Hinc, per formationem firmamenti secunda die, intendit Augustinus impressionem formae caelestis in materiam informem, quae illi praeextitit non duratione, sed origine; similiter, per congregationem aquarum tertia die, intendit impressionem formarum elementarium in materia informi, quae similiter praecessit formationem eius, origine, non duratione [2].

Quantum ad opus attributum tribus ultimis diebus, non discrepat Augustinus a sententia aliorum Patrum. Cum vero pro suo pytagorici systematis studio, libenter esset intentus adinveniendae rationi numerorum qui in Scriptura recensentur, senarium numerum edixit indicem perfectionis divinorum operum: quia, sicut numerus iste resultat ex additione suorum quotientium, quae sunt unum, duo, tria; sic, primo operi, quod est formatio creaturae spiritualis, consecratus invenitur unus dies; secundo operi, quod est formatio creaturae corporalis, duo dies; tertio operi, quod est ornatus, tres dies.

[1] 1, Quaest. LXVII, art. 4. — [2] Cf. L. I, sup. Gen. ad litt., c. 15; l. IV, cc. 22, etc.; l. I, de Gen. contra Manich., cc. 5 et 7.

5. — Formatio plantarum et animalium secundum S. Augustinum. — Porro, distinctionem fecisse perhibetur S. Augustinus inter productionem plantarum et animalium tertio et quinto die, et formationem corporum caelestium quarto die. Nimirum, cum advertisset, ad firmamentum non pertinere virtutem formativam luminarium, ideo edixit ea actu fuisse formata: plantas vero et animalia, e contra, sensit creata fuisse in potentia hinc terrae, illinc aquarum, in quibus elementis proinde existebant causaliter. Et hoc modo existimavit intelligenda esse verba [1]: *Germinet terra herbam virentem*, et maxime ea quae per recapitulationem postea leguntur [2]: *Istae sunt generationes caeli et terrae, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus caelum et terram, et omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, priusquam germinaret.*

6. — Quid intellexit S. Augustinus cum edixit plantas et animalia producta fuisse causaliter. — Quidnam autem intellexerit Hipponensis Doctor, cum edixit plantas et animalia fuisse producta causaliter, ipsemet luculenter explicat. *Quemadmodum*, ait, *si semen arboris considerantes, dicamus, ibi esse radices et robur et ramos et fructus et folia, non quia iam sunt, sed quia inde futura sunt: sic dictum est:* IN PRINCIPIO FECIT DEUS CAELUM ET TERRAM, *quasi semen caeli et terrae, cum in confuso adhuc esset caeli et terrae materia: sed quia certum erat inde futurum esse caelum et terram, iam et ipsa materia caelum et terra appellata est* [3]. — *Propterea vero non absurde etiam aqua dicta est ista materia, quia omnia quae in terra nascuntur, sive animalia, sive arbores, sive herbae, et si qua similia, ab humore incipiunt formari atque nutriri* [4]. — *Credatur, si nulla Scripturarum auctoritas seu veritatis ratio contradicit, hominem ita factum sexto die, ut corporis quidem humani ratio causalis in elementis mundi* (esset), *anima vero iam ipsa crearetur* [5].

[1] Gen., I, 11. — [2] II, 4-5. — [3] De Gen. contra Man. lib. I, c. VII. t. I, col. 649. — [4] Ibid., col. 650. — [5] De Gen., ad litt. l. VII, c. 24. t. III, col. 222.

7. — Quomodo S. Augustinus Platonicorum doctrinis faverit. — Porro, ut rite intelligantur S. Augustini hac in re positiones, primo recolendum est illum, cum a iuvenilibus annis, erroribus manichaeorum indulsisset, eorum sophismata, maxime circa priora tria Geneseos capita apprime calluisse. Hi enim Scripturae petulanter calumniabantur, quod lucis productionem primo die recenseat, et quod mentio fiat de die, cum distinctione vespere et mane, inde a principio creationis. Unde iam catholicus factus, constituit sanctus Doctor, contra acerrimos illos fidei hostes, Scripturae veritatem vindicare.

At vero, cum multum ille de Platonis doctrina accepisset, non est mirum si, in suis explicationibus, quidquam de placitis principis academicorum introducat. Et quidem, hoc ipsemet dat intelligi, dum in libro de Doctrina christiana scribit[1]: *Philosophi autem qui vocantur, si qua forte vera et fidei nostrae accommodata dixerunt, maxime Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam, tanquam iniustis possessoribus, in usum nostrum vindicanda. Sicut enim Aegyptii non solum idola habebant, et onera gravia quae populus Israel detestaretur et fugeret, sed etiam vasa atque ornamenta de auro et argento, et vestem, quae ille populus exiens de Aegypto, sibi potius tanquam ad usum meliorem clanculo vindicavit, non auctoritate propria, sed praecepto Dei, ipsis Aegyptiis nescienter commodantibus ea, quibus non bene utebantur; sic doctrinae omnes gentilium non solum simulata et superstitiosa figmenta gravesque sarcinas supervacanei laboris habent, quae unusquisque nostrum, duce Christo, de societate gentilium exiens, debet abominari atque devitare, sed etiam liberales disciplinas usui veritatis aptiores, et quaedam morum praecepta utilissima continent, deque ipso uno Deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos, quod eorum tanquam aurum et argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis divinae Providentiae, quae ubique infusa est, eruerunt, et quo perverse atque iniuriose ad obsequia daemonum abutuntur, cum ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis auferre christianus ad usum iustum praedicandi Evangelii. Vestem*

[1] C. XL, n. 60.

quoque illorum, id est hominum quidem instituta, sed tamen accommodata humanae societati, qua in hac vita carere non possumus, accipere atque habere licuerit, in usum convertenda christianum.

Enimvero, ipsemet testatur, se ex hisce libris argumentum sumpsisse ad maiorem de Deo eiusque attributis cognitionem capessendam. *In quos* (libros Platonicorum) *me propterea priusquam Scripturas tuas considerarem, credo voluisti incurrere, ut imprimeretur memoriae meae quomodo ex eis affectus essem: et cum postea in libris tuis mansuefactus essem, et curantibus digitis tuis contrectarentur vulnera mea, discernerem atque distinguerem quid interesset inter praesumptionem et confessionem, inter videntes quo eundum sit, nec videntes qua, et viam ducentem ad beatificam patriam, non tantum cernendam, sed et habitandam? Nam si primo sanctis tuis litteris informatus essem et in earum familiaritate obdulcuisset mihi, et postea in illa volumina incidissem, fortasse aut abripuissent me a solidamento pietatis, aut si in affectu quem salubrem imbebiram, perstitissem, putarem etiam ex illis libris eum posse concipi, si eos solos quisquam didicisset.*

8. — Platonis de rerum constitutione positio. — Quid autem de rerum constitutione et de nostra earumdem cognitione tenuisset Plato, iam supra diximus, et S. Thomas ita per anacaephalaeosim recitat [1]: *Posuit* (Plato) *formas rerum sensibilium per se sine materia subsistentes, sicut formam hominis, quam nominabat per se hominem, et formam vel ideam equi, quam nominabat per se equum, et sic de aliis. Has ergo formas separatas ponebat participari et ab anima nostra, et a materia corporali: ab anima quidem nostra ad cognoscendum, a materia vero corporali ad essendum; ut, sicut materia corporalis, per hoc quod participat ideam lapidis, fit hic lapis, ita intellectus noster, per hoc quod participat ideam lapidis, fit intelligens lapidem. Participatio autem ideae fit per aliquam similitudinem ipsius ideae in participante ipsam, per modum quo exemplar participatur ab exemplato. Sicut igitur ponebat formas sensibiles, quae sunt in materia corporali, effluere ab ideis, sicut quasdam earum similitudines, ita ponebat species*

[1] 1, Quaest. LXXIV, art. 4.

intelligibiles nostri intellectus esse similitudines quasdam idearum ab eis effluentes; et propter hoc scientias et definitiones ad ideas referebat.

Porro, *derisibile videtur*, ait iterum Angelicus [1], *ut dum eorum quae nobis manifesta sunt, notitiam quaerimus, alia entia in medium afferamus, quae non possunt esse eorum substantiae, cum ab eis differant secundum esse. Et sic, illis substantiis separatis cognitis, non propter hoc de istis sensibilibus iudicare possemus.*

Ad rem facit quod ait idem S. Thomas [2]: *Secundum hanc positionem, sufficiens ratio assignari non posset quare anima nostra corpori uniretur: non enim potest dici, quod anima intellectiva corpori uniatur propter corpus; quia nec forma est propter materiam, nec motor propter mobile, sed potius e converso: maxime autem videtur corpus esse necessarium animae intellectivae ad eius propriam operationem, quae est intelligere: quia secundum esse suum a corpore non dependet. Si autem anima species intelligibiles secundum suam naturam apta nata esset recipere per influentiam aliquorum separatorum principiorum tantum, et non acciperet eas ex sensibus, non indigeret corpore ad intelligendum; unde frustra corpori uniretur. Si autem dicatur quod indiget anima nostra sensibus ad intelligendum, quibus quodammodo excitetur ad consideranda ea, quorum species intelligibiles a principiis separatis recipit, hoc non videtur sufficere: quia huiusmodi excitatio non videtur necessaria animae, nisi inquantum est consopita, secundum Platonicos, quodammodo, et obliviosa, propter unionem ad corpus: et sic sensus non proficerent animae intellectivae, nisi ad tollendum impedimentum, quod animae provenit ex corporis unione. Remanet igitur quaerendum, quae sit causa unionis animae ad corpus.*

9. — **Secundum S. Augustinum, septem dies creationis sunt unus dies tantum.** — Ut autem plena de mente S. Augustini cognitio habeatur, attendendum est, illum septem creationis dies habuisse tanquam diem unum, septempliciter rebus repraesentatum [3].

[1] Ibid., art. 2. — [2] Ibid., art. 4. — [3] Cf. l. IV Sup. Gen. ad litt. c. 22; l. XII de Civ. Dei, c. 9; ad Oros. Q. 26.

Ad quod intelligendum, recolendum, secundum S. Augustinum, lucem proprie inveniri in rebus spiritualibus [1]; atqui lux est causa diei; unde cognitio mentis angelicae potest, proprie et in veritate, vocari dies. Cum autem ista cognitio, et maxime quae est in Verbo, non compleatur per successionem rerum cognitarum, et multo minus per successionem temporis, sed tota quanta est terminetur in instanti, hinc dies ille unicus septempliciter repraesentatus secundum diversitatem rerum creatarum, est ipsamet cognitio mentis angelicae, in qua Deus impressit, non successive, sed in istanti, omnia illa quae ipse produxit in natura.

Sic igitur universum totum, non solum quantum ad materiam suorum elementorum, sed etiam quantum ad distinctionem rerum inter se, creatum est a Deo, sive in actu, sive in potentia, ut supra explicuimus, in instanti, quin esset aliquod temporis intervallum, sive inter creationem materiae et formationem eiusdem, sive inter formationes singularium partium quibus universum ipsum componitur.

Porro, cognitio huius formationis, unius semel ac multiplicis, in mente angelica, a S. Augustino vocatur dies unus, cui correspondent septem dies in libro Moysis descripti. Deus quidem rationes harum rerum in se cognoscit, quae sunt ipsamet eius essentia; nos vero, qui tempore et spatio coarctamur, illas cognoscere non valemus, nisi per temporis successionem; at angelus de eis cognitionem habet intuitivam, qua simultanee omnia ei, in multiplici sua varietate, repraesentantur.

10. — Verba S. Augustini. — Praestat vero egregia verba Hipponensis Doctoris, quae ad rem faciunt, relegere. *Quapropter iam luce facta*, ait ille [2] *in qua intelligimus ab aeterna luce formatam rationalem creaturam, cum in ceteris creandis rebus audimus:* ET DIXIT DEUS: FIAT, *intelligamus ad aeternitatem Verbi Dei recurrentem Scripturae intentionem. Cum vero audimus:* ET SIC EST FACTUM, *intelligamus in creatura intellectuali factam cognitionem rationis, quae in Verbo Dei est, condendae creaturae, ut in ea natura prius quodammodo*

[1] Cf. supra, n. 4. — [2] L. II de Gen. ad litt., c. 8, n. 19.

facta sit, quae anteriore quodam motu in ipso Dei Verbo prior faciendam esse cognovit: ut postremo cum audimus repeti ac dici quod fecit Deus, iam intelligamus in suo genere fieri ipsam creaturam. Porro, cum audimus: ET VIDIT DEUS QUIA BONUM EST, *intelligamus benignitati Dei placuisse quod factum est, ut pro modo sui generis maneret quod placuit ut fieret, cum Spiritus Dei superferebatur super aquam.*

11. — Differentia inter evolutionismum et sententiam S. Augustini. — Hic autem sedulo notari debet quanta differentia intercedat inter theorias evolutionisticas et recitatam S. Augustini sententiam. Nimirum, gradualem mundi formationem evolutionismus quidem attribuit arcanae cuidam virtuti, a Deo vel a casu promananti: agnoscit vero Hipponensis Doctor omnes res productas fuisse a Deo immediate, aliquas quidem, regni scilicet mineralis, in actu, alias vero, nempe regnorum vegetalis et animalis, in potentia, ita ut idem ipse qui haec creavit, ea ad perfectionem perduxerit. *Quanquam*, ait [1], *si aliquid Deus imperfectum fecisse diceretur, quod deinde ipse perficeret, quid reprehensionis haberet ista sententia? Iure autem discipliceret, si id quod ab illo inchoatum esset, ab alio diceretur esse perfectum.* Igitur, minime differt S. Augustinus ab aliis Patribus in admittenda, necne, Dei actione immediata in rerum formatione; dum hi, in hac explicanda, edicebant imperfectum praecessisse, temporis duratione, perfectum, ille contrarium ducebat, quanquam id modo potius dubitativo quam categorico proponeret, dum ultro admittebat perfectionem rerum a Deo ipso procedere debuisse [2].

Hic quoque notari oportet, non ideo admisisse S. Augustinum simultaneam entium productionem, quod timeret ne Creatori vitio verteretur productio successiva, quasi videlicet adeo restricta foret eius potentia, ut tempore indigeret in sua operatione: probe enim sciebat, sanctos illos Patres eatenus hanc tenuisse sententiam, quatenus per eam expressius signari intenderent ordinem in rerum institutione observatum.

[1] Ibid., c. 15. — [2] Cf. 1, Quaest. LXX, art. 2, ad 5[m].

12. — Verba S. Gregorii Nysseni. — Iuverit hic S. Gregorii Nysseni, illius nempe ex Patribus, qui ad augustinianam sententiam propius accessit, verba referre. *Dei potestatis*, ait [1], *mensura est ipsa voluntas. Voluntas autem est sapientia. Sapientiae vero proprium est non ignorare quomodo unumquodque fiat. Porro, cognitionem potestas sequitur. Quapropter simul et facienda cognovit, et nulla interposita mora concurrit rerum effectiva vis, quae cognita perficeret, et sine ullo intervallo cum voluntate coniunctum opus continenter ostensum est; quandoquidem potentia voluntas est, eodemque momento prospicit, quo modo res fiant, et occasiones praebet ut cogitata sint facta. Quamobrem omnia quae in Deo sunt, ad rerum procreationem pertinentia simul cogitantur, voluntas, sapientia, potestas et rerum ipsarum natura.*

13. — Criterium quo in sustinenda simultanea rerum productione ductus est S. Augustinus. — Ut autem clarius adhuc patescat principium quo, in sua amplectenda sententia, duci se Augustinus voluerit, prae oculis habeantur oportet sequentia illius verba. *In rebus obscuris*, ait [2], *atque a nostris oculis remotissimis, si qua inde scripta etiam divina legerimus, quae possint salva fide qua imbuimur, alias atque alias parere sententias, in nullam eorum nos praecipiti affirmatione ita proiiciamus, ut si forte diligentius discussa veritas eam recte labefactaverit, corruamus: non pro sententia divinarum Scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, ut eam velimus Scripturarum esse quae nostra est: cum potius eam quae Scripturarum est, nostram esse velle debeamus.*

14. — S. Thomae sententia de interpretatione augustiniana narrationis mosaicae. — Sciendum vero Angelicum Doctorem, sententiam S. Augustini de simultanea creatione non solum minutatim, in suis operibus, exposuisse, verum etiam magna reverentia prosecutum fuisse. Primo quidem, in Commentario in Magistrum Sententiarum, loquens de aliorum Patrum sententia, qui successivam rerum productionem tenent, ait [3]: *Haec quidem positio et communior et magis*

[1] In Hexaemer. — [2] L. XII Confess., cc. 23, 24. — [3] 2, Dist. XII, Quaest. I, art. 2.

consona videtur litterae (sacri Textus) *quantum ad superficiem;* postea vero, paulisper mutata sententia, haec de opinione Hipponensis Doctoris habet: (Haec positio) *est rationabilior, et magis ab irrisione infidelium sacram Scripturam defendens: quod valde observandum docet Augustinus* [1]: *ut sic Scripturae exponantur, quod ab infidelibus non irrideantur, et haec opinio plus mihi placet.* — Attamen, in Summa theologica, quae est ultimum suum opus, S. Thomas, licet sententiam S. Augustini accuratissime exponat, non amplius tamen ostendit favere se hypothesi creationis simultaneae: ex quo quidem coniicere licet, illum opinionem suam, experientia edoctum, mutasse.

15. — Sententia S. Augustini cum sensu litterali Scripturae componi potest. — Adverti quoque hic debet, explicationem quam habet S. Augustinus, sive quoad interpretationem sex dierum genesiacorum, sive quoad naturam lucis primo die formatae, cum litterali sacri Textus sensu posse componi, cum et illa quoque sit litteralis, non secus ac aliorum Patrum sententia: litteralis, inquam, metaphorica, in quantum dies accipiuntur pro visione angelica. Quinimmo, cum teneat S. Doctor, res spirituales posse vocari lucem sensu magis proprio quam lux illa materialis, quae oculis nostris visibilia facit corpora, hinc, sub hoc adspectu, dici poterit sententia S. Augustini litteralis et propria.

16. — Differentia sententiae S. Augustini a sententia nonnullorum recentium. — Demum opportune notabitur, valde differre sententiam S. Augustini, qualem modo exposuimus, a sententia nonnullorum recentium interpretum, qui volunt narrationem mosaicam aliud non esse. nisi visionem, quam de rebus ante se productis, habuit Adam in ipso suae creationis momento, quae quidem visio conservata fuisset a traditione per saeculorum decursum, usquedum a Moyse scriptis consignaretur, tanquam haereditas a praeteritis generationibus habita et praeludium promulgationis legis sabbati [2].

[1] Super Gen. ad litt., l. I, c. 19. — [2] Sic posuit P. Hummelauer, S. I., in suo Commentario in Genesim. et in alio opere suo. Nochmals der biblische Schöpfungsbericht.

Equidem, quod, per revelationem divinam, Adam perfecte cognoverit opus creationis, distinctionis et ornatus, dubitari nequit, cum, eidem, tanquam primi generis humani instructori, munus incubuerit prolem suam edocendi, maxime circa hominis originem, eiusque ultimum finem, eaque omnia, quorum cognitio necessaria est ad gubernationem vitae.

At sedulo notari debet differentia inter visionem angelicam et adamiticam. Illa siquidem, cum sit per se infusa, completur supra proportionem phantasmatum, ac proinde sine temporis successione; haec vero non sine huiusmodi phantasmatum repraesentatione, et quidem tempore mensurata, naturali cursu, perficitur. Sed maxime considerandum est quod, ut ait S. Thomas [1], *nihil Deus produxit in rerum natura, quod non impresserit menti angelicae: quae quidem multa simul potest cognoscere, praecipue in Verbo, in quo omnis angelorum cognitio perficitur et terminatur; et sic distinguitur dies secundum naturalem ordinem rerum cognitarum, non secundum successionem cognitionis, aut secundum successionem productionis rerum. Cognitio autem angelica proprie et vere dies nominari potest, cum lux, quae est causa diei, proprie in spiritualibus secundum Augustinum inveniatur* [2].

17. — Quaestio. — *Quid intellexit S. Augustinus, dum asseruit plantas et animalia formata fuisse in seminibus, aut secundum causales rationes?*

Resp. Causales istae rationes, secundum S. Thomam, aliud non sunt nisi virtutes activae et passivae rerum naturalium, quarum quaedam quidem sunt moventes ad determinatas species, ut virtus quae est in semine leonis et equi, quaedam vero sunt communes, moventes ad omnem speciem, ut calidum, frigidum, et huiusmodi [3]: quae virtutes considerari possunt vel ut existentes principaliter et originarie in Verbo Dei, secundum rationes ideales, vel ut sunt in elementis mundi, tanquam semina, simul cum reliquo universo formata, de quibus ait egregie S. Augustinus [4]: *Sicut matres*

[1] 1, Quaest. LXXIV, art. 2. — [2] L. IV Sup. Gen. ad litt., cap. 28. — [3] 1, Quaest. CXV, art. 2, ad 1[m]. Cf. etiam 2. Dist. XIII, Quaest. I, art. 1. — [4] L. III de Trin., c. 9.

gravidae sunt fœtibus, sic ipse mundus gravidus est causis nascentium.

Haec igitur semina sunt velut causae universales respectu illorum individuorum, tam in ordine vegetabilium, quam in ordine animalium, quae, sub influxu propitiarum circumstantiarum, in actum erant evolvenda, ita ut eadem vicissim, per proportionata semina, alia individua eiusdem speciei producerent.

18. — Rationes causales sunt simul seminales et ideales. — Igitur, causales rationes possunt simul esse seminales et ideales. Nimirum, sunt seminales, in quantum sunt in rebus, tum active, tum passive, ad dandum esse unicuique secundum speciem suam; sunt autem ideales, in quantum originaliter sunt in Verbo Dei, ad cuius aliqualem similitudinem omnia producuntur, quo modo sunt in ordine superiori, cum causalitas rationum seminalium pertineat ad ordinem causarum creatarum, causalitas vero rationum idealium attendatur secundum causam primam. Cum autem multa possint evenire praeter ordinem rerum creatarum, ordo autem causae primae nequeat omnino frustrari, hinc miracula, quae sunt derogatio per respectum ad ordinem naturalem, eveniunt quidem praeter rationes seminales, minime vero praeter rationes ideales [1].

19. — Verba S. Augustini. — Iuverit hic egregia verba referre, quibus S. Augustinus distinctionem assignat inter rationes seminales et rationes ideales [2]. *Omnium quippe rerum, quae corporaliter visibiliterque nascuntur, occulta quaedam semina in istis corporeis mundi huius elementis latent. Alia sunt enim haec iam conspicua oculis nostris ex fructibus et animantibus, alia vero illa occulta istorum seminum semina, unde iubente Creatore produxit aqua prima natatilia et volatilia, terra autem prima sui generis germina, et prima sui generis animalia. Neque enim tunc in huiusmodi fetus ita producta sunt, ut in eis quae producta sunt vis illa consumpta sit; sed plerumque desunt congruae temperamentorum occa-*

[1] 1, Quaest, CXV, art. 2, ad 4. Vide supra, Quaest. XLIV, art. 3, nn. 2, 3, p. 19. — [2] L. III de Trin., c. 8, t. VIII, 799, 800.

siones, quibus erumpant, et species suas peragant. Ecce enim brevissimus surculus semen est, nam convenienter mandatus terrae arborem facit. Huius autem surculi subtilius semen aliquod eiusdem generis granum est, et hucusque nobis visibile. Iamvero huius etiam grani semen, quamvis oculis videre nequeamus, ratione tamen coniicere possumus: quia nisi talis aliqua vis esset in istis elementis, non plerumque nascerentur ex terra quae ibi seminata non essent, nec animalia tam multa, nulla marium feminarumque commixtione praecedente, sive in terra, sive in aqua, quae tamen crescunt et coëundo alia pariunt, cum illa nullis coëuntibus parentibus orta sint. Et certe apes semina filiorum non coëundo concipiunt, sed tanquam sparsa per terras ore colligunt. Invisibilium enim seminum creator, ipse creator est omnium rerum: quoniam quaecumque nascendo ad oculos nostros exeunt, ex occultis seminibus accipiunt progrediendi primordia et incrementa debitae magnitudinis distinctionesque formarum ab originalibus tamquam regulis sumunt.

Articulus IV. — *De pertinentibus ad septimum diem.*

1. — **Descriptio septimae diei in Scriptura.** Mosaica de opere sex dierum narratio clauditur descriptione septimi diei, quae sic effertur [1]: *Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat. Et benedixit diei septimo et sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ob omni opere suo quod creavit Deus ut faceret.* — Ubi tria ponuntur, distinctim evolvenda: scilicet, primo, completio divinorum operum; secundo, requies Dei ab omni opere suo; tertio, benedictio et sanctificatio huius diei propria.

2. — **Duplex rerum perfectio.** — Imprimis, quod pertinet ad completionem divinorum operum, dicendum est, per hominis formationem, completum fuisse opus institutionis rerum, et sic universum obtinuisse suam primam perfectionem, quae in hoc consistit, quod unaquaeque res completa

[1] Gen., II, 2, 3.

est secundum suam substantiam, et quae resultat in toto ex integritate partium. Porro, primae illi rerum perfectioni succedere mox debebat, saeculorum decursu evolvenda, secunda perfectio, quae est effectus prioris, sicut operatio est effectus formae, et quae consistit in operatione propria uniuscuiusque rei, quousque tandem adveniat ultimum huius perfectionis complementum in homine, consistens in beatitudine Sanctorum in consummatione saeculi [1]. Igitur consummatio ista causaliter praecessit, quantum ad naturam quidem, in prima rerum institutione; quantum ad gratiam vero, in Incarnatione Christi, quia *gratia et veritas per Iesum Christum facta est* [2]. Porro, cum dicitur Deus, terminato sexto die, a creando seu formando res totaliter novas desiisse, per hoc non excluditur quin creaturam pergat administrare et ad propriam operationem movere, quod iam aliqualiter pertinet ad inchoationem quamdam secundae perfectionis [3].

3. — Quomodo res omnes praeextiterunt in operibus sex dierum. — Dicendum vero, nihil postmodum a Deo factum fuisse totaliter novum, quin aliqualiter in operibus sex dierum praecesserit. — Quaedam enim praeextiterunt materialiter, sicut quod Deus de costa Adae formavit mulierem. — Quaedam vero praeextiterunt in operibus sex dierum, non solum materialiter, sed etiam causaliter, sicut individua, quae nunc generantur, praecesserunt in primis individuis suarum specierum. Species etiam novae, si quae apparent, praeextiterunt in quibusdam seminibus, sicut animalia quae videntur ex putrefactione generari. — Animalia etiam quaedam secundum novam speciem aliquando oriuntur ex commixtione animalium diversorum secundum speciem, sicut cum ex asino et equa, aut viceversa, generatur mulus: et haec etiam praecesserunt causaliter in operibus sex dierum. — Opera quoque miraculosa, in natura producta, in illo sex dierum opere causaliter extiterunt, cum non sint nisi transmutationes quaedam substantiales ex aliqua praeexistente materia. Demum, quaedam praecesserunt secundum similitudinem, sicut animae quae nunc creantur, et similiter In-

[1] I, Quaest. LXXIII, art. 1. — [2] Io., I, 17. — [3] Ibid., ad 2[m]. —

carnationis opus, quia, ut dicit S. Paulus [1], Filius Dei est in *similitudinem hominum factus.* Similiter, gloria spiritualis secundum similitudinem praecessit in angelis, corporalis vero in caelo, praecipue empyreo. Quocirca dicitur [2]: *Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est: iam enim praecessit in saeculis quae fuerunt ante nos* [3].

4. — **Quaestio I.** — *Utrum completio operum divinorum pertineat ad septimam, vel ad sextam diem?*

Resp. Oritur difficultas ex eo quod, secundum textum hebraicum, cui correspondet Vulgata, praedicta consummatio diei septimae attribuitur [4]: *Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat;* at secundum translationem Septuaginta interpretum, cui cohaerent textus samaritanus, arabs et syriacus, diei sextae assignatur [5].

Dicendum autem illam posse diei septimae attribui tanquam termino extrinseco et exclusivo, in quo desiit Deus producere; diei vero sextae, tanquam termino intrinseco et inclusivo, in quo ultimas creaturas produxit. Sic, verbi gratia, potest opera quaedam compleri die nona, tanquam in termino exclusivo, et die octava tanquam termino inclusivo [6].

5. — **Quaestio II.** — *Utrum deprehendere sit aliquam relationem inter opus sextae diei et diem mortis Salvatoris?*

Resp. Equidem pius quidam auctor, sub nomine Ven. Bedae, videt in complemento operis Dei sexto die, rationem cur Salvator sexto die hebdomadae mori voluerit. *Quia ergo sexta die factus est homo,* scribit ipse [7], *et tota est mundi creatura perfecta, septima autem Conditor ab opere suo requievit, unde et hanc, sabbatum, hoc est, requiem voluit appellari, recte Salvator eadem sexta die, crucifixus, humanae restaurationis implevit arcanum. Ideoque cum accepisset acetum, dixit: Consummatum est, hoc est: Sextae diei, quod pro mundi refectione suscepi, iam totum est opus expletum. Sabbato autem in sepulcro requiescens, resurrectionis, quae octava die ventura erat, exspectabat adventum.*

[1] Phil., II, 2. — [2] Eccles., I, 10. — [3] S. Thom., 1, Quaest. LXXIII, art. 1, ad 3[m] fere ad verbum, oblato eo quod dicitur de generatione ex putri per virtutem corporum caelestium. — [4] Gen., II, 2. — [5] Sic legitur apud LXX: Καὶ συνετέλεσεν ὁ Θεὸς ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ τὰ ἔργα αὐτοῦ. — [6] Ibid., ad 2[m]. — [7] Homil. III subd. in Psalm.

6. — Quo sensu dicitur Deus requivisse ab omni opere suo. — Dicitur autem Deus ab omni opere suo die septimo requievisse, non quod cesset a conservanda et administranda creatura condita, sed tum quod a productione rerum novarum desierit, tum quod desiderium suum perfecte adimpletum habuerit. — Revera, dupliciter requies accipitur: uno modo, pro cessatione ab operibus; alio modo, pro impletione desiderii; et utroque modo dicitur Deus requievisse die septima, qua et cessavit novas condere creaturas, ut dictum est [1], et suum desiderium impletum habuit. Unde post conditionem omnium operum, non dicitur quod *in* suis operibus requievit, quasi eis ad suam beatitudinem indigens, sed quod *ab* eis requievit, utique in seipso perfectissime beatus [2]. — Nec inconvenit quod praedictorum verborum: *Requievit ab omni opere suo*, praeter expositionem iam datam, alia ponatur, minus principalis et secundaria, ut scilicet intelligatur quod Deus fecit hominem requiescere, scilicet, attenta significatione verbi in hiphil hebraico, cum Deus benedictus faciat nos a suis et nostris operibus in seipso requiescere [3].

7. — Quid importet benedictio et sanctificatio diei septimo attributa. — Quod ad tertium hinc positum pertinet, ubi dicitur Deus benedixisse diei septimo illumque sanctificasse, sciendum est quod primum, scilicet benedictio, pertinet ad multiplicationem conditae creaturae, quam Deus conservat et ministrat; unde dictum est creaturis quas benedixit: *Crescite et multiplicamini*; multiplicatio autem rerum fit per administrationem creaturae, secundum quam ex similibus similia generantur. Sanctificatio vero attenditur in hoc quod creatura in Deo requiescit, unde et res Deo dedicatae sanctae dicuntur [4].

Ad rem Catechismus romanus. *Sabbatum*, ait [5], *hebraicum nomen, si latine interpretaris, cessatio dicitur. Sabbatizare propterea, cessare et requiescere latino vocabulo appellatur. Qua*

[1] N. 3. — [2] Ibid., art. 2. — [3] Ad 3[m]. Attende hic, quam profunde radicaretur in mente S. Thomae sententia de sensu litterali multiplici. Vide quae scripsimus in tr. de Sacra Doctrina, Quaest. II, art. 2, n. 11, p. 129. — [4] Ibid., art. 3. — [5] P. III, c. III, n. 9.

significatione factum est, ut Sabbati nomine dies septimus diceretur [1], *quoniam, absoluta perfectaque mundi universitate, Deus ab omni opere, quod fecerat, requievit: ita hunc diem in Exodo Dominus vocat* [2]. *Postea vero non solum septimus hic dies, sed ob eius dignitatem ipsa etiam hebdomada eo nomine appellata est; in quem sensum Pharisaeus apud Lucam dixit* [3]: IEIUNO BIS IN SABBATO.

8. — **Sententia dicentium mundum sex millia annorum duraturum esse.** — Pro huius articuli coronide, advertere iuvabit, probari haudquaquam posse sententiam, quae primis Ecclesiae saeculis magno plausu excepta est, iuxta quam unusquisque mosaicorum dierum spatium mille annos repraesentaret, ita ut sex millia annorum durare debeat mundus, quibus succedet aeterna quies, sabbatismus filiorum Dei [4]: quam sententiam sequentes Scripturae loci suasisse viderentur [5]: *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quae praeteriit*; et [6]: *Unum vero hoc non lateat eos, carissimi, quia dies unus apud Dominum, sicut mille anni, et mille anni sicut dies unus.*

Quae cum ita sint, mirandum non est, si vel insignes Ecclesiae Doctores, ut SS. Hieronymus et Augustinus, sententiae huic calculum suum dederint. Quorum ille ait [7]: *Ego arbitror mille annos pro una die solitos appellari; ut scilicet quia mundus in sex diebus fabricatus est, sex millibus annorum tantum credatur subsistere, et postea venire septenarium numerum et octonarium, in quo verus exercetur sabbatismus, et circumcisionis puritas redditur.* Similiter S. Augustinus [8]: *Mille autem anni* (potest) *intelligi,... quia in ultimis annis mille, ista res agitur, id est, sexto annorum milliario tanquam sexto die, cuius nunc spatia posteriora volvuntur, secuturo deinde sabbato quod non habet vesperam, requie scilicet sanctorum quae non habet finem.*

Alibi tamen, idem Hipponensis Doctor valde suspectam habet mathematicam supputationem eventus soli Deo co-

[1] Gen., II, 3. — [2] Exod., XX, 8. — [3] Luc., XVIII, 12. — [4] Vide S. Iraeneum, l. V, c. 28; Origen., l. II contra Celsum; Lactant., l. VII, c. 14. — [5] Ps. LXXXIX, 4. — [6] 2 Petr., III, 8. — [7] Epist. CXL ad Cyprian., n. 8. — [8] L. XX de Civ. Dei, c. VII, n. 2.

gniti. qualis est mundi finis. *Ne putarent autem aliqui.* ait [1], *mille annos sic computari apud Deum pro uno die, quasi tam longos dies Deus habeat. cum hoc ad contemnendam temporis longitudinem dictum sit, ideo addidit :* ET SICUT VIGILIA IN NOCTE, *cum vigiliae spatium non habeat amplius quam tres horas. Et tamen ausi sunt homines praesumere scientiam temporum ; quod scire cupientibus discipulis Dominus ait :* NON EST VESTRUM SCIRE TEMPORA, QUAE PATER POSUIT IN SUA POTESTATE, *et definierunt hoc saeculum sex annorum millibus, tamquam sex diebus, posse finiri. Nec adtenderunt quod dictum est :* TAMQUAM DIES UNUS QUI PRAETERIIT: *non enim quando dictum est, soli mille anni praeterierant. Et eos maxime debuit admonere, ne temporum luderentur incerto, quod est, sicut vigilia in nocte. Neque enim sicut de sex diebus aliquid verisimile videntur opinati, propter sex dies primos, quibus Deus perfecit opera sua : sic etiam sex vigilias, id est horas decem et octo, possunt illi opinationi coaptare.*

Quidquid autem dicatur, iudicii dies semper manebit enigma insolubile : unde, quamvis de opere creationis, distinctionis et ornatus, necnon de diebus genesiacis homo utiliter disputare possit, tamen, cum agitur de re futura quam Deus nobis revelare noluit, omnis ingenii praesumptio aut imaginationis petulantia frenanda est.

9. — Monitum S. Thomae. — Ceterum, hic potissime prae mente tenendum est aureum S. Thomae monitum [2]: *In his quae de necessitate fidei non sunt, . . . licuit* (sanctis) *diversimode opinari, sicut et nobis.* Alibi etiam expresse dicit [3]: *Sicut Augustinus docet, in huiusmodi quaestionibus duo sunt observanda. Primum quidem, ut veritas Scripturae inconcusse teneatur. Secundum, cum Scriptura divina multipliciter exponi possit, quod nulli expositioni aliquis ita praecise inhaereat, ut, si certa ratione constiterit hoc esse falsum quod aliquis sensum Scripturae esse credebat, id nihilominus asserere praesumat ; ne Scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur, et ne eis via credendi praecludatur.* Verba S. Augustini, quibus alludit Angelicus ea sunt, quae supra recitavimus [4].

[1] Enarrat. in Ps. LXXXIX, n. 5. — [2] 2, Dist. II, Quaest. 1, art. 3. — [3] 1, Quaest. LXVIII, art. 1. — [4] App. N. 13, p. 271.

EPILOGUS.

Si quis varia ac mirabilia opera, quae liberalissima manu Deus in universo sparsit, attenta ac reverenti mente perlustraverit, sponte vividos admirationis sensus in animo exsurgere experietur; unde mox in verba prophetae prorumpet [1]: *O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis eius! Magnus est, et non habet finem, excelsus et immensus... Hic est Deus noster, et non aestimabitur alius adversus eum.*

Attamen mirabilius quid in hoc perspicimus, quod tam excelsus ac potens Dominus, quem admirari nemo non potest, maius adhuc virtutis suae argumentum exhibere voluit in hoc quod se adeo humiliaverit ac, ut ita dicam, abbreviarerit, ut parvulum nobis simillimum se exhiberet ad amorem nostrum, quasi omni inter se et nos distantia sublata, plenius conciliandum. Sic quippe de Verbo incarnato canit Ecclesia [2]:

Feno iacere pertulit,
Praesepe non abhorruit,
Et lacte modico pastus est
Per quem nec ales esurit.

Equidem maior fuit potentiae exhibitio necessaria, ad hoc ut Verbum homo fieret, quam ut mundum totum crearet, cum Incarnatio, inter Dei opera maximum teneat locum: unde eloquenter docemur, Dei misericordiam et bonitatem omnibus eius operibus eminere, et debere nos tantum amorem amore non adulterato rependere: pluris quippe facit, et magis inhiat sincerae nostrae dilectionis quam admirationis obsequium. Hoc autem praestabimus, parvuli ex Maria nati humilitatem imitantes: qui gratissimus flos, ex naturaliter superbo ac tumescenti corde erumpens, maiorem Deo gloriam defert, quam cuncta illa splendidissima astra quibus immensitas caelorum exornatur.

LAUS DEO ET DEIPARAE.

[1] Baruch. III, 24, seq. — [2] Hymn. *A solis ortus cardine*, in Nativ. Dom. ad Laudes.

TRACTATUS

DE

OPERE SEX DIERUM

INDEX QUAESTIONUM ET ARTICULORUM

PAG.

PRAEFATIO v

PROOEMIUM 1

QUAESTIO PRIMA

(XLIV)

De omnium entium prima causa.

PROLOGUS.

ART. I. Utrum sit necessarium omne ens esse creatum a Deo . 7

— II. Utrum materia prima sit creata a Deo 13

— III. Utrum causa exemplaris sit aliquid praeter Deum . . 18

— IV. Utrum Deus sit causa finalis omnium 25

QUAESTIO SECUNDA

(XLV)

De modo emanationis rerum a primo principio.

PROLOGUS.

ART. I. Utrum creare sit ex nihilo aliquid facere . . . 31

— II. Utrum Deus possit aliquid creare 34

— III. Utrum creatio sit aliquid in creatura 45

PAG.

ART. IV. Utrum creari sii proprium compositorum et subsistentium 47
— V. Utrum solius Dei sit creare 49
— VI. Utrum creare sit proprium alicuius personae . . 57
— VII. Utrum in creaturis sit necesse invenire vestigium Trinitatis 61
— VIII. Utrum creatio admisceatur in operibus naturae et artis 65

QUAESTIO TERTIA
(XLVI)

De principio durationis rerum creatarum.

PROLOGUS.

ART. I. Utrum universitas creaturarum semper fuerit . . 70
— II. Utrum mundum incoepisse sit articulus fidei . . 76
— III. Utrum creatio rerum fuerit in principio temporis . . 114

QUAESTIO QUARTA
(XLVII)

De distinctione rerum in communi.

PROLOGUS.

ART. I. Utrum rerum multitudo et distinctio sit a Deo . . 119
— II. Utrum inaequalitas rerum sit a Deo 125
— III. Utrum sit unus mundus tantum 130

APPENDIX

Utrum corpora caelestia sint habitata 134

QUAESTIO QUINTA
(XLVIII)

De distinctione boni et mali.

PROLOGUS.

ART. I. Utrum malum sit natura quaedam 142
— II. Utrum malum inveniatur in rebus 147
— Utrum malum sit in bono, sicut in subiecto . . . 149

PAG.
ART. IV. Utrum malum corrumpat totum bonum . . . 151
— V. Utrum malum sufficienter dividatur per poenam et culpam 155
— VI. Utrum plus habeat de ratione mali poena quam culpa . 158

QUESTIO SEXTA
(XLIX)

De causa mali.

PROLOGUS.

ART. I. Utrum bonum possit esse causa mali 164
— II. Utrum summum bonum, quod est Deus, si causa mali 168
— III. Utrum sit unum summum malum quod sit causa omnis mali 171

QUAESTIO SEPTIMA
(LXVI)

De ordine creationis ad distinctionem.

PROLOGUS.

ART. I. Utrum informitas materiae tempore praecesserit formationem ipsius 177
— II. Utrum una sit materia informis omnium corporalium . 181
— III. Utrum caelum empyreum sit concreatum materiae informi 189
— IV. Utrum tempus sit concreatum materiae informi . . 193

QUAESTIO OCTAVA
(LXVII-LXIX)

De opere distinctionis secundum se.

PROLOGUS.

ART. I. De opere primae diei 204
— II. De opere secundae diei 213
— III. De opere tertiae diei 221

APPENDIX I.

PAG.

Utrum prima origo viventium citra immediatam Dei actionem possit explicari 225

APPENDIX II.

Utrum admitti possit evolutio unius viventis ab altero 232

QUAESTIO NONA
(LXX-LXXIV)

De opere ornatus.

Prologus.

Art. I. De opere quartae diei 245
— II. De opere quintae diei 252
— III. De opere sextae diei 255

APPENDIX.

De sententia S. Augustini circa opus sex dierum 262

Art. IV. De pertinentibus ad septimum diem 275

Epilogus 282

Date Due

MAR 10

14,737
230
L26
Lepicier, Alexius Henricus
AUTHOR
Tractatus De Opere Sex Dierum
TITLE
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | DATE RETURNED
RARY
30
26
ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY